Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Hippocrates

HIPPOCRATIS || COI IVSIVRAN=||DVM COMMENTARIO || RECENTER ILLVSTRATVM, CVI || acceßit altera pars, qua ratione Medi-||corum vita et ars sanctè con-||seruetur declarans.|| Authore || PETRO MEMMIO ||

Rostock: Ferber, Augustin d.Ä., 1577

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn861504348

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

BENEDIC ANIMA MEA
DOMINVM, ET NE OBLI
VISCARIS OMNIVM BE
NEFICIORVM EIVS. SI
CVT MISERETVR PA-
SVPER FILIOS, MISER-
ETVR DOMINVS SV-
PER TIMENTES SE.
PSALMO CIII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn861504348/phys_0001

81, a — 13.

Ma. — 3076.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn861504348/phys_0002

HIPPOCRATIS COI IVSIVRANDVM COMMENTARIO RECENTER ILLVSTRATVM, CVI accesſit altera pars, qua ratione Medicorum vita et ars ſanctè conſeruetur declarans.

Authore

PETRO MEMMIO

ROSTOCHII
TYPIS AVGVSTINI
FERBERI.
Anno M. D. LXXVII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn861504348/phys_0009

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ET DOMINO D. VDALRICO DVCI MEGAPOlensi, Principi vetustæ gentis Henetæ, comiti SVerinensi, Domino Rostochij & Stargardiæ, Domino meo clementissimo.

ILlustrissime Princeps, Domine clementissime, qui in Repub. boni ciuis officium obire volunt, velle quidem deberent omnes, hi quo pacto de illa optimè mereantur ante omnia cunctis animi viribus deliberant. In qua deliberatione suas quisq; vires metitur, & quibus in Repub. rebus opem vtilissimè ferre queat, studiosissime secum in animo voluit & reuoluit. Sunt autem in Repub. functiones variæ, seriò & prudenter de sua virtu-

virtute, qua Reipub. auxiliari cupiunt, deliberantibus propositæ, quàrum singulæ, si rectè vsurpentur, vberrimos fructus Reipub. suggerunt. De ijs enim loquor functionibus, quibus homines docti & sapientia præstantes ingens lumen tenebris vulgi offundunt, & hominum præcipuis necessitatibus inseruiunt. Non minima igitur gloria debetur ijs quorum res præclarè gestæ in Repub. extant, quorumq; industria & labore salutaria vitæ præcepta in lucem eduntur, hominibus proponuntur, & ad vniuscuiusq; captum & necessitatem applicantur. Confert enim singulis alicuius pretij in Repub. ciuibus functiones, iuxta commoditatē, quæ in ijs est, distribuj, & pro necessitate præcepta vitæ & morum cuiq; ordini tradi, quibus ornati functionem, cuj præesse aut debent, aut volunt, tam apud suos, quàm apud exteros homi-

homines commendent. Quanquam enim omnibus per se virtus honestam vitam et probos mores præscribat: tamen diuersæ vt sunt publicæ functiones, sic diuersos scopos singulæ sequuntur, & singularia vitæ & morum exempla in singulis, qui ijs præsunt, exoptant. Theologia duo inculcat auditoribus, Dilectionem Dei & proximi; quibus tota Theologia innititur. Huius Præcones inprimis dilectioni vtriusq; ita alligantur, vt si vel minimùm dilectio ab ijs violetur, totã Theologiãnon solũ auditoribus, verum etiã omnibus hominibus inuertere videantur, quicquid antea rectè in ea tradiderunt reipsa negligentes & veluti vituperantes. Nusquam igitur dilectionis siue charitatis exempla desint, si eam in vllo homine inserendam & retinendam arbitrentur. In ijs enim qui aliquam disciplinam profitentur, vita traditionibus consona in oculis auditorum

illuceſcat, & ex animo proficiſcatur, ſi eam apud homines aliquo in pretio eſſe cupiunt. Nam turpe eſt doctori ſi culpa redarguat ipſum. Sic in juriſprudentia, juſtitia ſtatim occurrit iis, qui eius cultu aliquam in Repub. gloriam adipiſci volunt. Quare ſi in omni actione & toto vitæ curriculo perpetua & conſtans voluntas jus ſuum cuiq; tribuendi in his, qui eã, ad inſtillandam animis hominum eius cupiditatem, amplexi ſunt, infrequenter appareat, aut aliquo modo ab affectibus huc illuc inflectatur, maxima contumelia digni exiſtunt, quòd ſcientiam, qua alijs patrocinium contra iniuſtitiam promittunt, contaminare ipſi, & æquitatem cũ iniquitate commutare deprehendantur. Philoſophia veritatis amorem veluti thesaurum in ſe concludit, quam eius alumni aſſiduitate ſtudiorum indagant, cunctis ingenij viribus ſectantur, & de acquiſita

eius

eius notitia tanquam summo bono gloriantur. Veritatis igitur discipuli, amore Philosophiæ inflammatj, eam vbiq; spirent, eam loquantur, eam doceant, & tueantur. Quamdiu summa fide & studio huius animi exẽpla ediderint, Philosophiæ addiscendæ cupiditate omnes incendi oportere verisimile est, qui exemplis honestis doctissimorum virorum ad veritatis admirationem aliquam pertrahuntur. Medica facultas, omnium Artium clarissima, in subiecto pretiosissimo humano corpore suum finem, sanitatem scilicet, persequens & absoluens, (nam hæc duo simul Medico occurrunt) commendationem sui prospero curationis euentu, & singularibus castitatis, fidelitatis, & taciturnitatis exemplis promeretur. Quum enim ars Medica circa sanitatẽ versetur, eiusq; præcipuè in humão corpore cura sit, huius apud homines authoritas nullo erit

loco, nisi optatæ valetudinis in ægrotantibus perspicuum & constans vestigium relinquatur. Promissio igitur valetudinis viribus artis exactè attemperetur, ne optatæ speratæq; valetudinis expectatione frustrati, perpetuò artem contemnant, & se suamq; valetudinem in posterum negligant. Pendet artis à fœlicitate commendatio, qua sublata, artis tollitur authoritas. Cum verò sanitatis morborũq; domicilium, corpus scilicet humanum, in omnibus Medicinæ exercitijs Medico exponatur, difficulter aliquis, & omnium difficillime muliebris sexus, vnicus verecundiæ portus, sui corporis potestatem alicuj facit: nec faceret vnquam, si non grauis aliqua valetudinis iactura & spes eius recuperandæ, verecundiæ magnitudinem superaret. Eodem modo metu etiam Ægrotantes ab vsu & desiderio medicamentorum abalienarentur, si in Medico

dico non extaret euidens fidelitatis testimonium. Nam quis audaci & lubenti animo homini ignoto corpus & vitam concredat, & ingrati non solum saporis sorbitiones, sed etiam turbas interdum corpori excitantes hauriat, si non aduersa valetudo, fidesq; Medicorum animum incitaret ægrotantis? Deinde etiam Ægrotantium pleriq;, neq; morbum, quo decumbunt, neq; partem similiter affectam vulgò notam esse cupiunt. Hac de causa in Medico taciturnitas, tanquam singularis virtus requiritur, quæ si cum alijs minimè coniungatur, Medicæ artis authoritas mirum in modum vacillabit. Sunt itaq; in vtilissimis quibusq; functionibus, Princeps Clementissime, singulares quædam virtutes ceu lumina, quibus vnaquæq; illustrata fidem hominum sibi conciliat quam maximam. Quocirca cuj justitiæ custodia demandata est, longis-

simè a se ōnem iniustitiæ suspicionē amoueat, ne splēdor, qua maximas jurisprudētia vires acquirat, & apud ōnes homines bene audiat, obnubiletur. In Medico simiiliter virtutū coniunctio, quibus eum præceteris ornari expedit, medicā facultatem acceptam reddit, & dubios de artis euentu, eiusq; cultoribus animos in rectam reducit viam, & in dextera opinione confirmat. Huic meæ de eminentia virtutum in singulis functionibus sententiæ suffragatur Hippocrates in formula juriisiurandi, quod posteritati, tanquā virtutum thesaurum, reliquit, in quo præterea, quibus virtutibus Medicinæ studiosum ornatum esse velit, ordine insinuat. Quare Hippocratis jusiurandum non sine causa commentariolo meo illustratum in lucem emitto, à quo singularia virtutum semina, quibus quisq; nostrum in sua functione ad ipsius ~~functionem~~ commendationē excellat, liben

libenter mutuemur. Nec pudeat nos ab homine Ethnico conuenientem vitæ normam, ad quam quisq; se, vitam, & mores in sua functione referat, audire & discere. Quin pudore nos afficiat, sæpê nobis ab illis vitæ & morum præcepta tradi, in communi vita prorsus necessaria, quorum ne vnum quidem vestigium in tota vita a tergo nostro relinquimus. Exemplum inuenire est facillimum. Docet Hippocrates in suo juramento, qua reuerentia, quaq; gratitudine Discipulos Præceptoribus suis obuiam jre deceat, Præceptores scilicet parentum loco habendos, eorumq; filios in fraternam familiam recipiendos esse: Hæc ille. Quotusquisq; autem nostrum aut debitam reuerentiam, aut aliquam gratitudinis speciem tam erga præceptores, quàm eorum filios exhibet? Imo econtra: Præceptores optimè de nobis meritos, pro quibus, iusta de cau

sa

ſa iuxta Hipp. vitam noſtram, ſi opus eſſet, profundere oporteret, maledictis lapidamus, conuitijs conſpuimus, eorumq; memoriam inuidia & odio oneramus, & ſi fierj poſſit, funditus delemus. Si quis ſibi publicas functiones, ſedulo examinandas proponat, pauci in conſpectum prodibunt, qui virtutibus propriam functionem apud homines promoûentibus, ſtationem ſuam tueri poſſint. Et tamen eiuſmodi præceptionum Ethnicos habemus authores, quas etiamſi aliquis vituperare & tanquã inutiles reijcere in animo habeat, cum ignominia à labore recedere cogetur. Sunt enim efficacia rationis optimè ſtipata, quæ ab ijs præcepta vitæ & morũ accipimus: Fieri poſſit quod alicunde ſimiles traditiones, hoc eſt, Chriſtianæ a Chriſtianis, propagatæ ſint, et ob id omni jure reliquis omnibus præferendæ: Quas etiamſi magno honore & primo in Repub. loco dignas

gnas esse non ignorem: tamen Ethnicorũ doctrina, si, ad illa, quæ Christiana disciplina præcipit, mores nostros minimè accommodemus, quod proh dolor sæpe sæpius contingere nihil non in nostra vita testatur, negligenter Christianam vitã curantibus acutissima calcaria addere solet. Turpe est suos mores studiose recensenti, si ab homine à nostra religiõe alieno, cuiq; vera de Deo doctrina ignota est, ad saniorem vitæ normã admoneatur. Discamus igitur Hipp. monitore in singulis functionibus, quæ virtus vnũquemq; in qualibet facultate deceat maximè, eamq; charam populo exemplis faciamus, ne eius commendationem remoremur ipsi, cuius nos & amantissimos & studiosissimos esse conducit. Ad has virtutes, Princeps Illustrissime, animus tuus nullis stimulis, nullaq; adhortatione indiget, ad promouẽdã justiciæ laudem sua sponte promptissimus.

Perti-

Pertinet enim tua Celsitudo, ad functionẽ quæ jurisprudẽtia dicitur, in qua justitia scopus est Politici Magistratus, ad quem omnes controversiæ referũtur. Inter alias eximias quidem virtutes, quibus singularẽ ingeny dotem, & animi celsitudinem semper declarasti, perpetua & constans voluntas suum cuiq; tribuendi, hoc est, ipsa Iustitia cũ hominum admiratione semper in te conspicua fuit. Pauca exempla veritatis testimonia in medium adducã. In cognoscendis controversijs subditorũ, aliorumq; omnium hominum, quorum negocia tuum patrocinium necessario implorant, quãta diligentia & quam exacte ponderentur omnia, infinitus est hominũ numerus, qui id vna mecum testentur: nec satis est a probatæ fidei & eximiæ eruditionis & prudentiæ viris vestro mandato rem audiri, (in quo magna tibi foret vitæ tranquillitas, si ijs solis committatur) sed

jubes

jubes omnium, quæ aguntur, copiam tibi fierj, ne quid in controuersijs decernatur, quod aut ciuibus tuis graue, aut Tuæ dignitati parum foret honorificum. Hac de causa intricatißimæ lites in frequenti Ducatus Megapolensis senatu te semper Præside, & grauißimo consiliorum Moderatore, publicè proponuntur, de ijs diligenter deliberatur, & quam fierj potest citißime sententia ex æquo fertur. Et ne controuersiæ difficiles et ad longum tempus protrahendæ sumptibus controuertentes nimis onerent, & inter eos dißidia et odia cumulẽtur, interponit Tua Celsitudo authoritatem, & ad arbitros controuersiæ tuo mandato deuoluuntur. Ita tamen vt nihil sine tuo consilio, tuoq; consensu in ijs statuatur. Memini etiam Tuam Celsitudinem frequenter molestißimas controuersias coràm diremisse; cuiq; quod suum erat, distribuisse. Tuaq; clemẽtia & authori-

thoritate lethales inimicitias & odia sopita esse. Quæ vitæ ante actæ exempla verj Principis ex animo Iustitiam colentis imaginem præ se ferũt, in quo Iustitia vberrimos fructus profert, & nihil, nisi quod justum est, apparet; Hoc est spartham, quam quis nactus est, ornare: Hoc est reipsa functionem, cuj aliquis præest celebriorem facere. Hoc modo functionibus vtiliter aliquis inuigilat, vtilius se in ijs exercet, vtilissimè administrat. Hoc modo Iustitiæ cupiditas omnes homines inuadit, et fides judicis apud vnum quemlibet locum habet. Hinc fit, quod cum pacatissimè ciues sub tuo patrocinio in hoc ducatu viuant, te tanquam numen quoddam colant, & patrem patræ reuereantur. Precanturq; Deum omnes vnanimiter noctes & dies, vt te huic ditioni multos annos incolumem seruet, gubernationi fœliciter præesse patiatur, &

per

per te publica commoda tueri velit. Erit igitur Illustrissime Princeps apud omnem posteritatem tui nominis, rerumq; à te fœliciter gestarum cum summa laude commemoratio, & haud dubiè vita suauiore, diuina clementia, ad multos annos perfrueris. Hoc ipsum omnibus contingere debère, qui communi bono fidem datam seruarint, cum non ignotum fuerit Hippocratj, nihil ipsi prius fuit pro fideli functionis suæ administratione, vita longiore & nominis sui æternitate; quæ in Iurisiurãdi formula omnibus alijs fœlicitatibus præposuit. Ob has igitur Illustrissime Princeps, virtutes, quibus Tua Celsitudo nominis immortalitatem consequetur, dignus es, quem totus orbis terrarum omni congratulationum genere celebret. Et quia singularem tuam iam aliquot annos erga me clementiam exper-

tus sum, jure aliquam gratitudinis significationem tandem exhibendam putaui, & communi hominum more, scripto meo qualicunq; nam aliud nihil, quod te dignum est, præstare possum, nomen tuum celebrare, pro ingenij tenuitate, æquum esse duxi; à quo beneficio, modo apud te beneficij appellationem obtineat, dum hac vita fruar, non desistam. Tuam Celsitudinem obnixè rogo, vt animum erga te meum, tui nominis & dignitatis studiosissimum, solita benignitate perpetuo amplectaris. Orabo interim Deum Maximum, vt ipsius benignitate de tua hac fideliter justitiæ administrandæ voluntate nihil vnquam decedat; quin si aliquid addi possit, magis magisq; augeatur. Quod vt diu Reipubli. præstare queas, longam tibi vitam, & constantem valetudinem omnibus animi viribus opto;

opto; Deus Optimus Maximus Tuæ Celsitudini clementer largiatur. Datum Rostochij 19. Nouemb. Anno 1577.

Vestræ Celsitudinis

Studiosissimus

Petrus Memmius, D.



HIPPOCRATIS COI IVSIVRANDVM.

APPOLLINEM Medicum, & Æsculapium, Hygeamq; ac Panaceam iuro, deosq; omnes itemq; deas testes facio, me hoc iusiurandum, & hanc contestationem conscriptam, pro viribus & iudicio meo integrè seruaturum esse. Præceptorem sanè qui me hanc edocuit artem, parentum loco habiturum, vitam communicaturum, eaq; quibus opus habuerit impertiturum: eos item, qui ex eo nati sunt, pro fratribus masculis iudicaturum, artemq; hanc si discere voluerint, absq; mercede, & pacto edocturum: præceptionum, ac

auditionum, reliquæq; totius disciplinæ participes facturum, tum meos, tum præceptoris mej filios, jmò & discipulos, qui mihi scripto cauerint, & Medico jureiurando addicti fuerint, alij verò præter hos nulli. Cæterum quod ad ægros attinet sanandos, diætam ipsis constituam pro facultate & judicio meo commodam, omneq; detrimentum & iniuriam ab eis prohibebo. Neq; verò vllius præces apud me adeò validæ fuerint, vt cuipiam venenum sim propinaturus, neq; etiam ad hanc rem consilium dabo. Similiter autem neq; mulieri talum vuluæ subditicium, ad corrumpendum conceptnm vel fœtum, dabo. Porrò præterea & sanctè vitam & artem meam conseruabo. Nec verò calculo laborantes secabo, sed viris chirurgiæ operarijs eius rej faciendæ locum dabo. In quascunq; autem domos ingrediar, ob vtilitatem ægrotantium in-

trabo:

trabo: ab omniq; iniuria voluntaria inferenda, & corruptione, quùm alia, tum præsertim operum venereorum, abstinebo: siue muliebria, siue virilia, liberorúmue hominum aut seruorum corpora mihi contigerint curanda. Quæcunq; verò inter curandum videro aut audiero, imò etiam ad medicandum non adhibitus, in communi hominum vita cognouero, ea, si quidem efferre non contulerit, tacebo, & tanquam arcana apud me continebo. Hoc igitur jusiurandum mihi integrè seruanti, & non confundenti, contingat & vita & arte feliciter frui, & apud omnes homines in perpetuum gloriam meam celebrari. Transgredienti autem & pejeranti, his contraria eueniant.

IN HIPPOCRATIS COI IVSIVRANDVM COMMENTARIVS.

QVandoquidem Iusiurandum religiosa quædam affirmatio est, & nullum vinculum ad stringendam fidem iureiurando Maiores arctius esse voluerunt, Authore Cicerone, ineunda est ratio, qua huic religioni authoritas aliqua comparetur: cum neq; in vsu amplius sit Iusiurandum, neq; à philosopho Christiano profectum. Est autem hoc iusiurandum pijs præceptis & traditionibus refertum, quibus meritò Medicinæ canditati statim ab initio subjciebantur. Quod ne facere tergiuersentur hisce nostris temporibus artis cupidi, si iura-

men-

mentum exigatur, vt constet quantum ponderis ad iurisiurandi existimationem totus adferat Hippocrates; quædam nobis inquirenda proponamus. Genus inprimis Hipp: deinde eius patriam, tertio educationem, postremo in doctrina profectum; quibus si abusus intermissionem iuramenti subsecuti adjciantur, crescet huius in studiosis amor & auctoritas. Genus suum referebat ad Herculem & ad Aesculapium, & ab altero se vigesimum, ab altero decimum nonum numerabat. Ex familia itaq; Æsculapiadarum natus Ius ob id discendæ artis medicæ consecutus est, vt verba Iurisiurandi aperte declarant. Patre natus est Heraclida, Auo Hippocrate, proauo Gnosidico, abauo Nebro, à quo Nebriæ dicti fuerunt ob excellentiam eius in doctrinis variis, & potissimum in arte medica. Nam hi in arte præstantissima omnes, mirum in

modum claruerunt. Porrò numerantur Hippocrates quinq; in eadem hac familia, rerum ad medicinã pertinentium notitia celebres. Verum hic noſter Hippo: cuius juſiurandum euoluere conamur, reliquos prudentia & varietate ſcientiarum anteiuit, Magni Hipp: ob id cognomen adeptus: Ex quo genere ortus ſit dictum eſt breuiter. Secundo loco, quamuis non obſcurum eſt, vbi natus ſit Hippocrates (dicitur enim Cous) de eius patrio ſolo pauca ſuperioribus adnectemus. Cos vna Inſularum, quæ communi nomine appellantur Cyclades, ſic dictæ, quod in orbem à natura digeſtæ exiſtunt; ſunt autem inſulæ 53. omnes in Ægæo mari ſitæ, quarum omnium clariſſima eſt Delos, in qua natus eſt Apollo Medicus, artis medicæ primus inuentor, quam ob cauſam Deitatem meruit. Vixerunt & Gnidij olim, quorum Bibliothecas com-

buſ-

bußit Hipp. in Gnido ciuitate, quæ Metropolis extitit insulæ penultimo loco huic Cariæ seu Cos insulæ adhærentis. Vnde apparet has insulas doctißimis viris fortunatas fuisse, & considerandum pariter est locum, in quo quis educatur, plurimum ad formanda ingenia & scientiarum influentiam conferre. At vero Ægeum mare, pars maris mediterranej, prope Græciam diuidens Europam ab Asia, dictas habet insulas inter helleſpontum & tenedum, sic appellatum, quod Ægeus thesej pater ex Athenarum arce illuc se deiecerit. Hactenus de loco, in quo natus est Hipp: de educatione pauca vtiliter dici possunt; Apud patrem educatus est, ab eoq, donec cum fructu oratores & philosophos audire potuit, diligenter institutus; Postea audiuit Gorgiam Leontinum Rhetorem, & Philosophum Democritum abderiten viros

in dicendi arte & Philosophia ijs temporibus summos, fuit enim Gorgias Empedoclis discipulus; Isocratis, autem & aliorum philosophorum & Rhetorum præceptor: Ausus est primus de quacunq; re ad quamcunq; quæstionem ex tempore respondere. Qualis & quantus vir Democritus fuerit, ex historijs vobis ipsis integrum est petere, cum varia de ipso tradantur: In philosophia eousq; progressus est, vt quinq; certaminum athleta dici posit: Naturalia, moralia, Mathematica, liberales disciplinas, artiumq; omnium peritiam callebat. Plurimum sub ipsis præceptoribus profeciſſe Adolescentem, natura ad omnem prudentiam & doctrinam ediscendam procliuem, ad hoc singularibus ingenij dotibus adiutum, etiamsi eius scripta non testarentur, facilis est ex rebus certissimis coniectura. Omnium efficacissima de eius ingenij fœlicitate &

exacta

exacta educatione ratio & persuasio præbetur nobis, quod ex tot illustribus viris continua quadam serie ortus, usus est in institutione opera celeberrimorum eius ætatis hominum, & in primis Patris sui docti pariter & probi viri. Cui enim magis curæ sunt liberi, quàm ipsis parentibus? Hic filij sui studiorum cursum observare, examinare, promouere & iuuare, præ cæteris omnibus & diligentius potuit & haud dubiè voluit. Tum etiam optimè intellexit, quocunq; ingenium maximè inclinare videretur, delectum habendum esse virorum, sub quorum fide, disciplina, & diligentia omnia, quæ ad exoptatum finem facere iudicaret, quàm fœlicissimè filius consequeretur. Quod carissimo patri ex sententia euenisse non solum clarissimorum propemodum infinita de filio testimonia, verum etiam in lucem diuulgata ab ipso Hipp: scripta

loquuntur, plena singulari eruditione, & prudentia. Accedit etiam hoc, quod patriam suam celebriorem doctrina & artificio reddiderit, & totam ferè Græciam ab horrenda peste liberam effecerit. Hac beneficentia aliquot regibus egregiè commendatus fuit; quamquam Artaxerxi operam suam denegauerit, quòd is totius Græciæ, cuius hic erat amantissimus, infestissimus hostis deprehenderetur, vt ex Epistolis Regis per Histanidem ad Hippocratem, & è contra, Hipp. ad eundem videre licet. Ex quo constat Hipp. animo verè philosophico, & memorabilem fuisse pecuniæ, imò etiam honorum contemptorem, quòd dum à Regibus coli potuit & ali splendidissimè, pluris fecerit libertatem suam, quam aurum, & maiorem habuit græciæ, in qua viuebat, rationem, quam aut suiipsius, aut honorum aulicorum. Quæ virtus in homine Ethni-

co

co propemodum omnium & philosophorum & Christianorum huius ætatis virtutes obscurat & extenuat. Hippocrates igitur continua serie ex familia Æsculapiadarum ad illam ætatem, & cum ætate coniunctam eruditionem progressus, ita vt jure familiæ veluti per manus à maioribus artem medicam acceperit, in eaq; maiori cum laude se exercuerit, merito tandem in arte medica grauissimos errores & pericula considerat & exagitat & ab arte jureiurando auertere conatur. Hanc ob causam Reipub. expedire arbitratur scholam medicorum à publicis congressibus semoueri, ne promiscuè omnes ad eam accedant, arcana artis medicæ discant, eaq; mox lippis & tonsoribus communicent, & ita tandem ars clarissima hominibus exosa reddatur. Huc enim jusiurandum spectare videtur, artis Medicæ studiosorum singularem

rem delectum proponens. Hippocratis igitur prudentia minimè vulgaris, & judicij acumen in rebus grauibus acutissimum, huius jurisiurandi in scholis medicorum commendat vsum. Quot vero errores Reipub. neglectus jurisiurandi vsus pepererit, infinitus impostorum numerus hodie passim testatur, à quibus ars nobilissima deformatur, & mors pro vita hominibus propinatur. Nam in hac sola arte omnia tentare & facere impunè licet, eoq; res medicorum deuoluuntur, vt Ganeonibus, meretriculis, vetulis & in genere leuissimis quibusq; hominibus plus fidei & in arte medica authoritatis à summis in orbe terrarum viris tribuatur, quàm ijs, qui in artis præceptis ediscendis vitam propè consumpserunt. Sed quia philosophiæ auditoribus, ab ineunte ætate vix prima philosophiæ elementa degustantibus, fidem seruandam & veritatem

tem semper retinendam esse, pertinacissimè inculcari solet, admiratione dignum meritò videatur, talem inter philosophos jurandi consuetudinem extitisse; nec videtur inter eos, qui prima illa institutione ad bene agendum perpetuò veluti sua sponte procliues fiunt, juramento magnopere opus esse. Quod igitur ad hanc animorum spontaneam inclinationem juramentum etiam seueritate veterum accesserit philosophorum, grauiores causſæ allegari possunt. Ars medica omnium artium clarissima, ab ipsa, qui in deorum numerum relati sunt, inuenta, summa religione exculta, & singulari reuerentia à maioribus accepta, reuerentia, pietate, deuotione sibi auditores deuinctos cupit, amplitudinis, dignitatis & vtilitatis artis semper memores. Quæ dum in ipsa Adolescentia grauissimis admonitionibus auditoribus demandantur, crescit simul

cum

cum ætate artis amor, ad quem pius cultus ſtatim accedit. Eſt interim viridior ætas plenior rimarum, ſi quis eam amicis quæſtionibus, & promiſſis ampliſſimis vrgeat, ob hæc jureiurando compeſcenda. Deinde ingens periculum eſt in artis medicæ abuſu, qui abuſus frequens foret in Adoleſcentibus opinione interdum magis, quàm reipſa eruditis, ſi, antequam totum medicinæ curſum abſoluiſſent, libertate artem exercendi potirentur. Res enim eſt maximi ponderis humana valetudo & vita, circa quam tota medicina verſatur. Quòd, ſi huius artis ſtudioſi ob oculos ſibi collocarent, cum de vitæ genere, in quo vitam ſemel finiant, deliberationem inſtituunt, ſuipſius examinatores forent acerrimi, an artem hanc aliquando cum vtilitate Reipub. exercere poſſint: poteſt autem nemo, niſi natura duce ad illam vi quadam & ſingu-

laribus

laribus animi stimulis rapiatur, qua relu-
ctante, omnis ad artem conatus est ina-
nis, testè Hipp. in tractatu de lege. Ve-
rum, ne, cum aliquis quàm aptus rebus in
medicina gerendis futurus sit, sejpsum
metiri velit, grauibus erroribus implice-
tur, inter naturam & deprauatum animi
affectum, eorumq; stimulos diligenter di-
scernat. Deprauati animi affectus, pri-
uatam vtilitatem publicis commodis ple-
rumq; semper præponunt, in quo hi ab il-
lis, qui naturam sequuntur, differunt: Est
itaq; prima in Medicinæ studioso virtus
ad artem natura duci, qua in re artis fru-
ctus vberrimi latere solent. Quocirca
medicinæ operam aliquem daturum dece-
ret, authoritate veterum, Iurijurando
Hipp: adstringi ante, quàm ad arcana
veteris medicinæ intromitteretur; ne pro-
miscuè, & sine delectu ad res tam præ-
claras, tam vtiles, & tanto cum periculo,
si quis

si quis minus rectè vtatur, coniunctas, omnibus iter patefiat. Quæ obseruatio summam attulit gloriam vetustati, in qua peritißimi artis viri cum publica vtilitate floruerunt. Sed vt vetus illa & laudabilis consuetudo iniquitate temporum, & incuria artis præcepta tradentium exoleuit, ita veræ medicinæ verus vsus, eiusq; apud omnes homines existimatio, & medicamentorum præparandorum recta ratio, ad quam celandam potissimum jusiurandum requirebatur, paulatim euanuit. Abdita enim medicinæ præcepta vulgaria facta & cuiq; libera contemptum pariunt: ocij, deliciarumq; amore, quo plerique omnes æstuant nulla disciplina coërciti, debitam curam & parandi medicamenta sollicitudinem deponunt. Hinc factum est, quod qui modernam medicinam factitant, hominibus indoctis & rerum naturalium imperitis omne

confi-

conficiendi medicamenti negocium comitantur. Quorum imperitia, dolus varius, & fucata medicandi ratio in oculos hominum vltro citroq; incurrunt, qui falsa pro veris, inueterata pro recentibus, pecuniæ augendæ causa prostituunt. Nam eo vitio magna pars istorum hominum contaminata est, & veluti simiæ suypsius obliti in propulsandis morbis, Receptis ad hoc (vt vocant) Doctorum in libros congestis, plus æquo lasciuiunt, maioremq; ægrotantibus spem valetudinis subinde faciunt, quàm quisquam eorum, qui in scholis medicorum ad multos annos educati sunt. Ita decipitur vulgus ignarum, & nullo hisce de rebus iudicio præditum; Ita abutuntur illi diuina arte, ne hilum quidem, quod vel in fundamentis artis minimum est, intelligentes. Occasionem abusus præbuerunt illi, quorum imprudentia arcana (si quæ hactenus in

vulgari medicina extiterunt) ad manus temerariorum hominum peruenerunt. Ita hodie omnia præposterè in medicina fiunt. Olim nulla apud veteres supprimendi artis arcana cautela prætermissa fuit, ita vt juramento pactum de non reuelanda arte sancitum sit. Hac ætate ferè nemo est, qui non omnem lapidem voluat, & potissimum inter illos, qui damna grauissima à Repub. deriuare tenentur, medicinæ titulo professores, reipsa vero artis prophanatores, vt omnia vernaculè in lucem prodeant. Qui quamuis hac via nullum prorsus ad Rempub. commodum accedere antea cognouerint, tamen lucelli tenuissimi, aut vanæ gloriolæ desiderio, publicant reticenda, gladios hominibus idiotis, quibus sine numero homines jugulantur, subministrantes. Nam quod medicinæ faciendæ rationem imperitæ plebi obiter innuamus præcludendam, hac po-

tissi-

tissimum de causa fit, quòd citra noticiam explorandorum affectuum, & veram veteremq; agendi methodum, omnia medicamenta maximis periculis referta sint, & pro efficacissimo veneno haberi possint. Tum etiam illud faciles illos scriptores commouere debuit, quòd nulla ars, excepta Medicina, cuiusuis conditionis homines maiori copia ad se alliciat, & id quidem propter amplissimum & tutissimum portum, in quo omnis omnium nebulonum & impurissimarum mulierum dolus & impostura solet nauigare. Quibus omnibus fenestram ad hanc nequitiam aperuerunt illi, qui germanica lingua, ceu claui, abscondita medicinæ præcepta recluserunt. In ijs verò, qui se disciplinæ Hipp. submiserunt, multo aliter succesit medicatio, quibus nihil prius fuit, quàm artem antiqua fide à maioribus acceptam, veluti diuinum munus reuereri, nec exercendi

medicinam vlla facta est potestas, nisi rerum in arte absconditarum fontem integrè conbibissent, res necessarias propriis manibus coaptassent, earumq; vsum plenè cognouissent. Tradenda igitur arcana bona fide, veluti per manus discipulis societate medicorum et contubernio dignis, ijsq; solis, si vtilitatem publicam spectare, eamq; tueri velimus, agendi in medicina libertas concedatur. Huius autem temporis Medicina vetulis & ociosis hominibus, à doctis quidem viris, sed parum prudentibus, vernaculè præmansa, in eorumq; os ingesta nihil habet tali Iureiurando dignum, estq; Hippocratis veteri medicinæ dissentanea nihil quod arcanum dici potest in se continens, cum arcana medicamentorum non ex forma rerum externa simpliciter eruantur, sed frangenda nux ijs sit, qui nucleum esse cupiunt; hoc est, per resolutionem corporum,

velu-

veluti per vnicam viam ingressus ad arcana tentandus est. Quod in Pharmacopolijs publicis seu feculentum quiddam abijcitur, ex eo sæpenumero ab Artifice docto præstantissimum remedium elicitur. Nec sunt eius generis Hippocratis plurima medicamenta posteritati communicata, vt ijs ea forma, eoq; pondere, quo conscripta sunt, tutò perfruamur. Et si quis de tota Hipp. medicina sincerum judicium dicere velit, agnoscet eam optimis quidem observationibus, & diuinis præceptionibus scatere, paucos tamen existere, qui passim eius mentem assequantur. Hac de causa prætereunt scripta diuini Hippocratis, quicunq; alias vniuersum orbem suis scriptionibus opplere desudant, sumuntq; materiam humeris suis aptam, hoc est, in qua nemo non suas vires abundè tentarit, & ne omnino ociosi & nihil dediciſſe videantur, coquunt, &

recoquunt toties cocta & recocta, & tandem producunt medicinam germanicè loquentem. Quare superuacaneum est in hac vulgari artis administratione iusiurandum aliquod ab auditoribus exigere, & mera dementia est iureiurando conari res ita diuulgatas, quàm quod est vulgatissimum, sub tectum reuocare & veluti abstrusum quiddam secludere. Operæ pretium is facturus est, qui, vbi cum fœlici progressu in arcanis veterum se aliquandiu exercuit, veris medicinæ discipulis, amore artis & vtilitatis publicæ, accepto ab illis juramento, inuenta arcana communicauerit. Hoc consilio pristina medicinæ dignitas paulatim restitui, amor res absconditas inuestigandi in studiosis artis neruos acquirere, & discrimen inter impostores & genuinos artifices facilè palam fieri poterit. Hoc quia Iusiurandum Hippocratis commodi dedit,

dit, ab eo remedium, quo pernicioſi erro-
res funditus euellantur, primo quoq; tem-
pore petatur. Hippocratis authoritas hoc
à nobis impetret, ſi veteris & vſque adeo
veræ medicinæ vlla in modernis medicis
ſcintilla ſuperſit. Illuſtretur vetus vetu-
ſtiſſimorum medicorum medendi metho-
dus, cuj medicamenta, quæ jure recondi-
ta appellentur, accedant. Ita vera meden-
di ratio veluti è ſepulchro ad vitam re-
uocabitur. Huic demum clauſtrum affi-
gatur Iuſiurandum Hipp: Vnicum taci-
turnitatis & res neceſſarias ſupprimen-
di vinculum. Quæ prolixius dici hic ordo
de jureiurando poſtulare videtur, verba
Hipp: occaſionem de ijs differendi ſug-
gerent ſuo loco. Quare cum de Hippocra-
tis magnificentia in medium allata ſint,
quæ merito excuſcitent in nobis amorem
juſiurandum grato animo & vera reue-
rentia in poſterum amplectendj: Et cum

non leues errores, qui ab intermisso juris-
iurandi vsu à multis annis pullularunt,
veluti digito monstrauerimus, jam ad Iu-
risiurandi Hipp: interpretationem pro-
peremus.

APOLLINEM MEDICVM ET ÆSCVLAPIVM, HYGÆAMq; AC PANACÆAM IVRO, &c.

Iuramentum apud omnem vetustatem semper fuit fidej non violandæ & constantis in seruando pacto voluntatis efficax testimonium, cuj facilè, propterea quod summam execrationem excitet violatum, extrema fides adhibetur. Sic veritas quibusdam interdum dubia, aut vacillans existimata, Iuramento stabilitur, eiq; finis controuersiæ succedit. Quocirca vsu recepta est consuetudo nomen alicuius

cuius Diui in forma juramenti, quem non solùm judicem animi affectuum agnoscunt, verùm etiam propter seuiorem animaduersionem juramenti violatores formident, omnibus animi viribus inuocare. Deos enim oculatos & perspicaces esse, quos nihil celari potest, cultiores gentes certissimè sibi persuaserunt, quibus cùm fallacia nulla strui queat, homini verò imponi possit, ab hominis impotentia ad Deorum potestatem recessum est.

APPOLLINEM hîc primo loco veneratur, quòd primus artis Medicæ inuentor sit, natus vti dictum est in insula delo, clarissima insularum, quæ sitæ sunt in mari Ægæo. Fuerunt Appollines plures, viri in suo genere præstantes, à quibus hic Apollo titulo MEDICI separatur. Est hic Apollo Medicus in numerum Deorum relatus, quòd origo artis Medicæ ab illo veluti fonte primario

rio profluxerit. Et sicut monet Cicero militem debere præfectum istius vrbis jure manere, qui minima clade eam in expeditione in suam potestatem coëgerit, sic illustres sapientia & doctrina viri deorum locum apud illos, de quibus optimè meriti fuerunt, adipiscebantur, & omnia beneficia, quæ in arte ad homines artis cultores confluxerunt, tamquam dijs suis accepta tulêre. Hac ratione Æsculapio etiam in jureiurando dedit locum Hippocrates, ad quem præterea originem generis sui retulit. Æsculapius Apollinis ex Coronide Nymphæa filius, cum qua vbi Æmonius juuenis Ischys aliâs dictus consueuerat, Apollo hanc sagittis sustulit, sed fœtus commisseratione vterum aperuit mortuæ, & infantem ex angustijs redemit, appellauitq; eum Æsculapium. Chironem nactus Pædagogum Medicinæ operam nauauit. Romam

mam adductus seuißimam pestem domuit. Ex hoc Æsculapio nati filj sunt duo, Machaon & Podalirius: filiæ vero tres, Hygæa, Æyle, & Panacæa. Quòd autem filias Æsculapij testes jurisiurandi faciat, filios verò prætereat, verisimilè est hoc consilio factum esse, quòd mascula proles suis virtutibus nouas glorias aucupari & benefactis in numerum deorum more maiorum contendere deceret; filias verò, quas ob virtutes diuinus parens charißimas habuit, patri adiungit, eiq; gratificatur, vt etiam post mortem diuos benefacientium voluntatem cognoscere, & beneficium beneficio propter gratitudinem compensare paratos esse indicaret, & hoc exemplo ad benefacta exhibenda, & beneficij accepti memoriam honestorum hominum animos imitaret.

Ex Æsculapij familia natus Hipp: & ab Aesculapio se decimum nonum numerat,

merat, hinc eam familiam, & celeberrimam, et omnium clarissimam propter artis medicæ inuentionem perennem facere suis scriptis in animo habet. sequitur.

DEOSq; OMNES, ITEMq; DEAS TESTES FACIO.

Plures Deos & Deas obtestatur, ne ijs de sua dignitate vllo modo aliquid decedat, præcipuè tamen ad terrorem ijs, qui jurabant, incutiendum, ne sibi persuadeant aliquid puniendi officio & ardori defuturum, si aliter mens se habeat, quàm verba jurisiurandi exprimunt. Vult igitur, qui juramentum verbotenus pronunciabunt, animis appositis hoc facere, omnes enim deos deasq; vires suas coniuncturos potiùs, quàm patiantur impunè præstitum semel jusiurandum ab aliquo violari. Vehemens est hæc sese obligandi volun-

voluntas, & grauissima conteſtatio, qua ſe omnibus dijs ſubijciunt, nec hoc ſatis eſt obiter polliceri, accedit quod in homine ſummum eſt, quantum videlicet vires animi & corporis & judicium humanum in juriſiurandi conſeruatione præſtare poterunt, hoc ipſum promittit ſe integrè ſeruaturum. Audiamus autem quid primo loco inter articulos, juramento obſignandos, occurrat.

PRÆCEPTOREM SANE, QVI ME HANC EDOCVIT ARTEM, PARENTVM LOCO HABITVRVM.

Inter parentem & Præceptorem, qui hanc artem docebit, nihil ſtatuit intereſſe Hippocrates. Præceptor igitur & Diſcipulus ſingulari amoris vinculo coniunguntur, & mutua officia vtrique in-

iniunguntur; Præceptori, ne in fide & diligentia in tradendis artis Præceptis aliquid patiatur desiderari: Discipulo obedientia, voluntaria disciplina, assiduitas in studendo, & gratitudo. Quorum omnium fœlicem successum mutuus amor operatur. Atque paterno amore, quo liberos suos parens prosequitur, nihil est potentius, nihil constantius, nihil penetrantius: Et hoc præcipuè quòd id, quod ex se natũ cernit forma imaginis humanæ pulcherrimum, nõ aliundè vitæ necessaria, quàm à solo parente efflagitet, ab eo solo pendeat.

Parentis animus eo facilè inflectitur, cùm sciat vitam ipsam liberorum, & imprimis quod sint, quibus nihil in hac vita preciosius hominibus contingit, ex se originem sumpsisse, omnia vitæ sustentacula, liberatissima manu suggerit, nec à paternis curis abstinet, si tamen abstinet, donec proprijs aut animi, aut corporis viribus

ribus aut vtrisq; simul ad vitæ conseruationem necessaria ipsi acquirant & parent. Et cùm formandis moribus & ingenijs omni virtutum genere colendis impares sese arbitrantur, vt nihilominus tandem in hac cõmuni vita alijs inseruiendo aliquam gloriam liberi participare queant, viros ex hominum multitudine deligunt & optimos, & politißimos, quos veluti animi parentes in educatione honesta & pia ipsi constituunt & agnoscunt. Qua de causa præceptores parentũ sollicitudinẽ in se suscipientes discipulos paterno affectu amplexantur, animum immortalem immortali cibo, hoc est, ipsa virtute pascunt, doctrina et pietate ornant, & diuinis institutionibus ad dei gloriã euehere conantur. Quantum igitur animus dignitate corpus excellit, tantò grauiores curæ in educatione Præceptoribus incumbunt, tantoq; maiore gratiarũ actione &

benefa-

benefaciendi ſtudio præceptoribus deuinciuntur diſcipuli. Rectè igitur Hipp: præcepit præceptores parentum loco habendos eſſe, ijsq; omnia, vitã etiam ipſam communicari oportere autumat. Cum verò ingratitudinis exemplа haud dubiè etiam Hippocratis temporibus horrenda extitêre, rationi conſonum judicauit diſcipulos jureiurando ad perpetuam gratitudinem & acceptorum beneficiorum recordationem obligari. Eſt ingratitudo vitium ab homine omni modo remouendum etiam ſupplicij genere aliquo, ſi modus excedatur. Semen eſt odij inter homines truculentiſsimi ingratitudo, quo læthaliter ſeſe mutuo proſequuntur, nec grauiore ignomia putat ſe aliquis affici, quàm ſi illos, quos magnis beneficiorum cumulis nobilitauit, non ſolùm immemores eſſe, ſed ſe maledictis inſuper ab illis ſentiat lacerari, pedibus conculcari, & glo-

gloriâ, quam optimè meruit, apud homines spoliarj.

Quare rectè monet Xenophon de Pedia Cyri. lib. 1. hisce verbis, Et de illo crimine judicium faciunt, quod est in causa, vt sese homines odio mutuo insectentur quàm maximè. nam vehementer agunt causſam ingratitudinis, & quem cognorint posse referre gratiam, nec refert, in hunc seueriſsimè animaduertunt: quippe qui abitrantur eos, qui sunt ingrati, & Deos maiorem in modum negligere, & parentes, & patriam, & amicos. Ingratitudinem verò potiſsimum impudentia sequitur, quæ ad omnem turpitudinem maxima est dux. hactenus ille. Hac ingratitudinem puniendi seueritate pueri ab ipsis initijs imbuuntur. Ad quam Xenophontis sententiam spectant Hipp. verba; Præceptores parentum loco habendos, vitamq; ijs communicandam esse.

Quæ doctrina cùm apud Ethnicos summam, vt videmus, authoritatem nacta sit, commonefaciat juuentutem, atq; adeò etiam nos omnes gratias deberi ijs quàm maximas, à quibus, quæ in hac vita summa sunt officia, accepimus. Et si apud Ethnicos ingens dedecus fuerit amorem erga præceptores extinguere supplicij genere maximo puniendum: scelus sit apud homines Christianos immensum, rabidorum canum morsibus castigandum, non solum præceptorum obliuisci, verumetiam vitam, si possint, adimere velle? Nam quid aliud est, quod quidam hac vita præceptores fuisse indignos clamitant, quàm conari eos animo è vita tollere? hæc nostra est gratitudo, qui Ethnicos grati animi & honestioris vitæ exemplis præire debemus. Hic est hominum Christianorum Zelus. Facit igitur hæc ingratitudo, vt jureiurando in Medica arte

opus

opus esse arbitremur, vt cum id, quod sponte vnumquemq; lubentissimè fecisse oportuit, non fiat, ad hoc juramenti calcaribus, hoc est, ipsa infamia compellatur. Est igitur verborum juris iurandi Hippocratis hic, vt opinor, intellectus, Præceptores parentum erga filios animorum affectus induere, iis omnia fidelissimè, quæ ad artem spectant, enucleare, animum saniore doctrina colere oportere. Discipulorum est, non minore reuerentia præceptores, quàm parentes, à quibus vitam acceperunt, prosequi, hos perpetuò, tamquam quod clarissimum est, diligere. Sed nec hisce limitibus continetur gratitudo, vult præterea vitam pro præceptore profundi, si necessitas postulauerit: ex quo manifestum fit, latissimè patere gratitudinis terminos, qui ad mortem vsque pro præceptore subeundam extenduntur. Quæ gratitudinis latitudo omnem ingra-

titudinis radicem ex animis discipulorum euellit, & si aliqua ingratitudinis nota erumpat, supplicio aliquo, vt apparet, expianda est: si enim illum aliquis fœdissima iniuria afficiat, pro quo mortis periculum postulante necessitate subeundum est, extrema certè, si fides non seruetur, pœna ei minitatur. Si verò vitam pro præceptoribus nulla exigit necessitas, nihil erit in discipulorum potestate tam charum, quod non velit exigente necessitate promptissimo animo communicare. Hæc obligatio animos præceptorum ad artem medicam & philosophiam illustrandam et amplificandam effecit liberrimos. Philosophi enim pecuniæ contemptores & necessarijs vitæ sustentaculis contenti, non tàm proprijs afficiebantur commodis, quàm publicis: nec voluptas maior vlla ijs occurrebat, quàm si res absconditas communem hominum societa-

tem

tem aliquando adjuturas ſuis lucubrationibus & labore in vſum adducere potuerunt. Quod quicunq; ſibi natura duce & amore vtilitatis publicæ perficiendum proponunt, animos ab alienis curis liberos poſsidere & volunt & debent; ſimul enim curæ domeſticæ, & ſtudiorum aſsiduitas in ijs rebus, quæ nullo cum lucro ſunt coniunctæ, rarò cum vtilitate concurrunt. Nec ex hac ipſa arte medica, in qua floruerunt illi, diuitias comparandas putarunt. Si igitur vita publici commodi ſtudio tandem conſumpta ad benè viuendum præceptoribus aliquid deeſſe videatur, id diſcipulorum liberalitate reſarcietur. Quia verò exempla huius gratitudinis rara ſunt, & philoſophorum animi ſecuritatem efflagitant, nè vlla impedimentis occaſio relinquatur, gratus diſcipulorum animus jureiurando extorquen-

dus est. Quocirca etiam hanc jurisiurandi particulam Hipp: asperſit.

EOS ITEM QVI EX EO NATI SVNT PRO FRATRIBVS MASCVLIS IVDICATVRVM, ARTEMq; HANC, SI DISCERE VOLVERINT, ABSQVE MERCEDE ET PACTO EDOCTVRVM.

Curæ, quas parentis animus nomine liberorum ſuorum ſuſtinet, grauiſſimæ exiſtunt, & à philoſophicis contemplationibus ad moleſtiſſimas cogitationes hominem præcipitant. Natura comparatum eſt, quæ neq; furca expelli, neq; aliis philoſophiæ præceptis omninò obtundi poteſt, liberorum amore ea interdum tentare, quæ plena ſunt ſollicitudine, nec tamen vel hilum proficiunt. hæc innata nobis

bis est imbecillitas, & quoties eorum, qui ex nostris visceribus prodierunt, meminimus, obliuio statim nos cepit quomodo omnium rerum creator earumq; conseruator nobis huius vitæ sustentacula hactenus suppeditauerit. Quod potissimum ijs, qui perfectam de Deo doctrinam nunquam didicerunt, accidit; quãuis in nobis Christianis æquè vehementer idem error sese exercere videatur. Hic error, nihil enim est aliud, prætextum aliquem honestum ratione amoris ergà liberos præ se fert, nec alio fonte originem fortè duxit, quàm quòd nullam apud homines viderit Hipp. posteritatis parentibus priuatæ rationem aut curam superesse. Cogi igitur homines oportuit, & religione aliqua constringi, antequam abditissimos Medicinæ flosculos decerperent, vt qui ex præceptore nati sunt pro fratribus masculis habeantur, ijs præcepta gratis explicen-

tur, & vt veluti de fratribus discipuli semper benè mereri studeant. hac via enim præcipua curarum sarcina leuantur parentes, & ad quiduis expeditissimè indagandum redduntur alacres. Quare rationi consonum est efficacia huius iurisjurandi, & maximè hac animorum tranquillitate, quòd & sibi & suis prospectum esse in tempore vi iuramenti certiores facti sunt, inuentionem fuisse quàm facillimam rerum absconditarum, & hac sola via traditiones veterum ad posteritatem peruenisse. Quam sententiam hæc nostra, vt superior quæuis, ætas confirmat, quæ circa hoc, quod antea elaboratum fuit ab alijs, versatur. Nemo ingreditur vestigia maiorum, rerumq; memorabilium inuestigationi insudat. Quòd si veteres rebus altioribus hinc inde comparata animorum tranquillitate ea diligentia non inuigilassent, quà deditos studijs

dijs extitisse monumenta literaria testantur, esset plurimarum rerum velutj chaos et indigesta moles. Huius ætatis homines plerique omnes statim, vbi & animi & corporis viribus vti possunt, accumulandis corporis alimentis studiosissimè insistunt, nec accumulare desinunt, modo secunda annuat fortuna, donec aceruis pecuniarum oculi satiantur; his curis impliciti nihil nouj aggrediuntur, sed aliquam veterum traditionum partem arripiunt, in qua vitam sibi & suis consumunt. Qui igitur præclari aliquid in lucem edere cupiunt longissimè curas à se propellant, & ita contra eas se armis præsentibus muniant, ne ob aliquam necessitatem recurrant. Quod quidem dictu est quàm factu facilius, partim quia externa auxilia apud illos nulla sunt, quorum liberalitate & potentia adimj possint, partim quia animi ea philosophia, qua veteres pro-

prijs commodis neglectis publica promouerunt, hoc tempore minimè excolantur. Imò si hodiè aliquis vna voce istorum hominum mentionem fecerit, risus omnibus excitatur non secus, quàm si quis eundem hominem sapientem pariter & delirantem appellauerit. Ad pellendas igitur curas promittunt se discipulj filios præceptorum sine mercede & pacto omnium, quæ ad illustrandã artem facere videbuntur, participes facturos. Nemo ad facultatem medicam admittitur, si medico jurijurando addictus esse nolit. Est igitur velutj religio quædam, cuj deuouere se jubentur, quj studijs medicinæ initiabuntur, siue ex præceptoribus natj, siue proprij filij fuerint, siue alàs aliquis in numerum discipulorum recipiatur. Discrimen tamen facit inter præceptorum filios & discipulos, quòd filijs præceptorum gratis,

tis, discipulis verò ex pacto artem communicandam statuit.

COETERVM QVOD AD ÆGROTOS ATTINET SANANDOS, DIÆTAM IPSIS CONSTITVAM PRO FACVLTATE ET IVDICIO MEO COMMODAM, OMNEq; DETRIMENTVM ET INIVRIAM AB EIS PROHIBEBO.

Hac juramenti particula medicorum officium ægrotis præstandum comprehenditur, & in dieta commoda & in detrimento, iniuriaq; ab ægrotis propulsanda studium medicorum situm esse ostenditur. Quantopere diæta huic instituto inseruiat, docet Hipp: in lib. de victus ratione in morbis acutis, in lib. Apho. & alibi passim. Præcipua autem cura sit, vt

vni-

vnicuiq; conueniens & accommoda victus ratio præscribatur, cum cuiusq; natura siue temperamento & consuetudine congruens, debito tempore, modo & ordine administranda. Cum itaq; huius artis studiosi se juramento ad conuenientem diætam obligari patiantur, ingentes labores, rerum omnium, quarum vsus vllus esse possit, notitiam comparandi subeunt. Quia verò in victus ratione animæ & corporis vinculum, hoc est, vitæ sustentaculum consistit, ante omnia in medendi methodo victus ratio, qua vtuntur ægrotantes, inspiciatur studiosè, an omnibus modis congruens habeatur. Vt enim conuenienti qualitate, quantitate, exhibendi ordine & tempore vera perfectaq; cibi suggerendi ratio deriuatur; Ita ex ijsdem, si minus aptè concinnetur, errores dimanant grauissimi. In congruente igitur diæta, aut vires ægrotantis conser-

uan-

tandi, aut si opus est augendi, facultas continetur, & è contrà, tumultuaria victus ratio, turbarum multarum plenissima, vires in ægrotantibus mediocres ad infimum debilitatis gradum prosternit, ægrotos simul et adstantes, imò & ipsum artificem de rebus in medendo peragendis, dubios facit. Quòd dum in ijs fit, in quibus præsentissima vitæ est tutela, scilicet in cibo & potu selectissimo, quid in ijs, quæ semper contra naturam & vires agunt, quantumuis leniter agant, futurum putas? sunt enim eius generis omnia medicamenta, quæ vires turbant, non corroborant, totum corpus, hoc est, omnes facultates eneruant, non fulciunt. Quocirca conueniens victus ratio sollicitum artificem reddit, ne in eo, quod conueniens & esse & dici potest, error aliquis relinquatur. Est homini aëris nos circumambientis maximus vsus, quo nè ad minimum

tem-

temporis momentum carere potest, eius itaq; ratio sit apud medicum prima, eius congruentissima temperatura, siue natura ipsa, siue artificio inuenta ægrotj semper perfruantur. Quare rectè additur Pro facultate & judicio meo commodam: Est enim omnis ingenij facultas & animj virtus impendenda rebus, quarum vsu vita ex periculis redimatur ægrotantis. Sine momentanea virium amplitudine nihil, quod laude dignum est, medicamentis efficitur, atque idonea victus ratione vires maximè reparantur collapsæ, meritò igitur huius cura præcipuè assumatur, & ita assumatur, ne aliquid defuisse ægrotis euentus morbi conqueratur. Verum in eo, quod dicit, pro facultate & judicio meo, latissimus est excusationum campus ijs, quj ea diligentia in veris artis præceptis non sunt instituti, qua illj, quibus Hipp. Iusiurandum proponj solet, erudiebantur.

bantur. Huius generis hodie splendore & titulo medicinæ superbientes sine numero oppidatim demonstrare est facillimum: Eò enim calamitatum deuentum est, vt siue de arte medica benè meritus, siue alius quispiam nugiuendulus vtatur verbis in hoc jureiurando vsurpatis Pro facultate & judicio meo feci, aut faciam, quod in commodum ægrotantis cedet, apud omnes homines æquè efficacem authoritatem consequatur. Sit hic literatissimus, in arte medica exercitatißmus, experientia probatissimus, jmò redeat, si fierj possit, ipse Hippocrates ad hanc vitam; sit alius hac ipsa aura, qua fruitur, indignissimus, homo nullius ponderis, nullius eruditionis, ex aliqua luce ad ipsas tenebras redactus, dicat hic, dicat ille, feci quod potuj, annè eadem erit de vtriusque potestate seu facultate sententia? Exempla sunt in promptu, quid opus est verbis?

Est

Est discrimen inter homines medicinæ vsurpatione & nomine medicorum luxuriantes cum aliqua prudentia faciendum, nec auferat ille victoriam, à quo nihil proficiscitur, quod ad veterem medicinam referri posset. Abutuntur hisce verbis Pro facultate & judicio meo cum aliqua gloriola abiectissimæ mulieres, abutuntur homines tàm docti, quàm indocti, recta via ad artem medicam nequaquam ingressi, in quibus nihil magis est ridiculum, quàm quòd aliquam sibi asscribere facultatem & judicium audeant, quos homines enormes & ne mica salis conditos omnes ipsorum actiones ostendunt. In extrema desperatione de aliquo vitæ genere nequitiæ prætexendo, in quo ceù latrones in speluncis delitescant, deliberantes, cuiusuis farinæ homines ad medicinam omnium, proh dolor, nebulonum portum veluti procellæ impetu venti agitatæ

jrruunt,

jrruunt, quos non pudet hanc cantilenam canere, PRO mea facultate feci, nec in vllo homine tantum prudentiæ superest, qua inter hunc & illum rectè discernatur. Imò sub prætextu huius cantilenæ, Pro mea facultate feci, magnum premium deportant nebulones, etiamsi subitò et manifestis acceleratæ mortis jndicijs præeuntibus plerique occumbant ægrotantes: Ita inscitia inscitiam coronat. Et cùm Magistratus omnis ad grauissimos istorum nebulonum errores conniueat, doctis & indoctis eandem dignitatem tribuat, sæpissimè hunc suprà illum extollat, castigatur tandem erroneum judicium, & plerique istorum è vita nebulonum manibus tolluntur. Hæc est ipsa æquitas imprudentium hominum, qui puniendos clementia insuper beant, vnicus & verissimus vindex. Qui etiam horum nebulonum temeritate, magistratu consentiente,

vnquam perierunt, non tam istos nebulo-
nes, quàm conniuentem Magistratum ac-
cusant, & coram justo judice conuincunt.
Ab exemplis abstineo, quia sole clarius
est, quod dico: Considerandа sunt verba
Hippocratis, Pro mea facultate & judi-
cio; estq; statuendum, quod non in alijs,
quàm quj ab ineunte ætate artem didice-
runt, neque in alijs, quam qui juramento
Hippocratis deuincti sunt, aliquem lo-
cum habere queunt, quorum judicium &
facultas operis constantia fidem ipsis con-
ciliant, in quibus existunt, & artis certi-
tudinem in summis difficultatibus relin-
quunt: Hac certitudine afficiuntur illi,
qui verba Hipp: in formula jurisiurandi
pronunciant. Inane foret juramentum, si
quis jurando in se reciperet expeditu-
rum, quod in suis viribus non sciuit posi-
tum: Vt igitur efficax est in his facultas
& judicium, modum in victus ratione
ser-

seruantibus, ita ociosa quædam est facultatis & iudicij appellatio in ijs, qui necessario cultu & exercitijs consentaneis nullam facultatis & iudicij significationem dare possunt. Non impunè igitur vulgus hisce verbis vtatur, Pro facultate et judicio meo feci: Nam hic prætextus est nequitiæ, nulli artis fundamento innitens. Quod de victus ratione ægrotis præscribenda dictum est, simile quiddam de ijs rebus, quibus viciſsim omne detrimentum & iniuria ab eis prohibetur, est statuendum. Idem enim scopus medico tam per diætam, quàm medicamenta, inculpata scilicet valetudo, proponitur: Ad hunc scopum omnes Medicorum actiones diriguntur. Hac de causa aliqua ex parte obligantur juramento, ne medendi morbis libertatem sibi sine consensu præceptorum vendicent, ob id ad multos annos artis præcepta audiunt, eiusq; vsum

& exercitium discunt, tandemq; Rebuspublicis vtiles facti jugum scholasticum excutiunt. Qui in profligandis morbis omnia pro facultate & iudicio suo expedituros jureiurando promittunt. Et rectè quidem illi. Circumspectè quidvis in medendi ratione exhibendum, ne quid largius, neq; etiam parcius, quod contra morbum destinabitur, præscribatur. Quæ obseruationes, quantas medico pariant molestias, experiuntur illi, qui cum morbis quotidiè colluctantur. sequitur.

NEQVE VERO VLLIVS PRECES APVD ME ADEO VALIDÆ FVERINT, VT CVIPIAM VENENVM SIM PROPINATVRVS, NEQVE ETIAM AD HANC REM CONSILIVM DABO.

Hactenus

Hactenus ad victus rationem, omniaq; remedia, eorumq; genuinum vsum iureiurando auditores Medicinæ obstrinxit. Hoc vero loco Artis abusum, eiusq; contaminationem abiurant. Tradita est à Maioribus Medicina ad vitam hominum à morbis redimendam, & ad detrimentum, iniuriamq; ab ægrotis & alijs omnibus hominibus amouendam, quantum hoc per humanæ naturæ fragilitatem præstare licebit, cùm corruptioni obnoxia sint omnia corpora, quæ vitam acceperunt. Si sit igitur veluti proprium medicorum, detrimentum & omnem iniuriam pro virili ab homine abercere, tota medicinæ dignitas euerteretur, si veneno alicui adferrent detrimentum. Sed cùm in ea juramenti parte, in qua ægrotos ab omni iniuria vindicaturum se promisit satis obligatus appareat, ne venenum alicui propinetur, superfluum dixe-

rit aliquis obligationem hoc loco renouari. Respicit hoc loco Hipp. artis Medicæ existimationem, cui etiam ex particulari iurisiurandi formula fidem conciliat singularem, vbi expressis verbis veneni, eiusq; exhibitionis facit mentionem. Qua formula cultores Artis in perpetuum arctissimè constringit, ne vllius precibus alicui venenum propinent. Hoc modo homines aliâs multis de causis suspicaces sine hæsitatione medicinæ vsum suspiciunt & venerantur. Quia vero per preces & maximè, si ijs opes coniungantur, hominem interdum contingit seduci, vtrumq; rectè in iuramento connectitur, precibus non commoueri oportere, vt veneno alicui noceat, aut si ipse noxam inferre nolit, consilium alicui impertiat suam. Ita omnis via veneno vtendi intercipitur, & de veneno suspiciones ex animis hominum eripiuntur. Hoc modo non

parua

parua acquiritur existimatio Arti, qua, qui vtuntur, omnem medicorum diligentiam, fidem, & studium iurisiurandi intercessione, sibi veluti summo iure pollicentur, ijsq; tuto inituntur. Sed sciat vnusquisq; se iam aliquoties esse admonitum, multos ad artem ceu fucos irrepere, quorum manus plenæ sunt veneno, nedum animi. Animi enim nulla Philosophiæ parte exculti, qua virtutis amorem imbiberint, semper veluti nubes omni vento instabiles, & fluctuantes, ad quæuis vitia circumagitantur. Sunt præterea Medicamenta omnia, si minus rectè, minusuè temperanter vsurpentur, ijs venena satis acuta, in quorum corpora hominum imprudentia ingeruntur.

SIMILITER AVTEM NEQVE MVLIERI TALVM VVLVÆ SVBDITITIVM

AD CORRVMPENDVM CONCEPTVM VEL FOETVM DABO.

Quæ juramenti particula si olim vnquam in Rebusp: necessaria fuit, hisce temporibus eius necessitatem grauissimi casus confirmant. nec hoc ita accipiendum est, quasi medicorum fides in suspicionem aliquam pertrahi possit, verum, quia propter plurimarum meretricum frequentes & horrendos lapsus, in quibus tandem plus oneris quàm voluptatis sentiunt, varia remediorum genera, eaq; incredibili astutia prætextu grauissimorũ morborum sæpè a medicis exiguntur, quibus onus, testimonium probitatis, excutiunt, eiq; quasi velum obducunt. Quod quamuis juramentum artis studioso omnino manifestè non præscribat, propterea quod à mala voluntate tantum, eiusq; exe-

cutione

cutione ipsum liberum semper esse velit, quasi ignorantia aliquem excusationis locum mereatur, tamen latius patere huius dictionis sensum opinor. Quare ne peccatum hac in re a Medico committatur vllum, quomodo absenti sæpe sub persona aliena medicamentum communicet, etiam atq; etiam deliberet. Non enim semper ea, quæ infernè applicantur, conceptum vel fœtum corrumpunt. Notum est, proh dolor, fœmineo sexui plus quam æquũ est, non solum ijs, quæ ingerj possunt, quorum vsus hisce in locis non vsq; adeo frequens est, verùm intro forma potionis assumendis vtriq; insidias struj posse, experientia exploratum habent. Nec, in qua schola didicerint, percunctandum est. Extant de eiusmodi pernicie addiscenda vernaculè conscripta, typis excussa opuscula quã plurima, quæ liberè æduntur, ab omnibus leguntur, & impunè ex ijs multa fiunt,

quæ pios homines, piasq; aures grauiter offendunt. Quomodo autem illi, qui huiusmodi medicamenta palam faciunt, omnibus modis supprimenda, Iuramentum Hipp. non violent, equidem non video. Nihil enim aliud est lingua materna nudissimè explanare, quibus conceptus aut fœtus corrumpi possit, quàm si vterum gerenti talum vuluæ subditicium in eum vsum darent. Imò meo quidem judicio grauius peccatur harum rerum diuulgationibus, quòd magna feneſtra teneris animis ad inuerecundas cogitationes ſpe tollendi fructus aperiatur. Exempla ſunt odioſa. Ad huiuſmodi errores, ingentis nequitiæ fontes, Magiſtratus omnis cæcus eſt. Hac de cauſa videmus de multis ſupplicium ſumi, quæ, dū ab experimentis ſubſidium fruſtra expectarunt, fruſtratæ fœtum recenter natum ſuſtulerunt. ſatius igitur foret ea, quibus iuniorum

rum animi inflammari possunt, ê medio tolli, quàm omnibus legendi copiam facere. Hoc est, quod Hippocrates Medicinæ studioso iniungit; hoc est, quod, quicunq; Hippocratem reuerentur, eiusq; scripta aliqua laude dignantur, alijs studiosissimè inculcare, sibiq; semper ab oculos ponere deberent.

PORRO PRÆTEREA ET SANCTE VITAM ET ARTEM MEAM CONSERVABO.

Hæc promissio ita generalis est & ad omnes virtutes ita se extendit, vt nihil homini obuium venire queat, quod cum honesto est coniunctum, cui non arctissimè adstringat promittentem. Duo paucis verbis nominantur, quæ juramento accipiuntur, Vita & Ars, in quibus

summa

summa cum religione se versaturum ait, & sanctissimè vitam artemq; conseruaturum jurat. Est enim ars, vt ex iis quæ superius dicta sunt, apparet, munus quoddam diuinum, quo in Deorum numerum translati sunt, eiq; tanquam Dij præesse dicuntur, qui primi eam inuenerunt. Rerum autem diuinarum custodes, earumq; precones omnia sua instituta, omnesq; actiones ad Deos incredibili reuerentia retulerunt, infœlicem in medendo progressum, si impuritate aliqua Ars præclarissima pollueretur, semper veriti. Dijs enim & longas manus esse, & oculos in abdita loca penetrantes persuasum habuerunt. Quia verò si quis, quomodo & in quibus vita & ars sanctè conseruanda sit, enumerare velit, opus prolixa oratione foret, remitto benevolum lectorem ad tractatum sequentem, in quo hæc jurisiurandi particula plenissimè explicatur.

Nec

NEC VERO CALCVLO LABORANTES SECABO, SED VIRIS CHIRVRGIÆ OPERARIIS EIVS REI FACIENDÆ LOCVM DABO.

Hoc loco ex verbis Hippocratis priscis temporibus in vsu fuisse calculum per sectionem eximendi rationem intelligimus, quæ curandi ratio inde ad nos, ad hæc vsq; tempora dimanauit. Suntq; in hac chirurgiæ parte viri exercitatissimi, qui calculo & ruptura laborantes secando, hypochymiam inueteratam, eiusq; generis oculorum vitia curando, (Galenus Ocularios nominat) eius rei peritiam rectissimè sibi compararunt. Quibus Hipp. propter continuatum vsum, locum concedit. Quia vero tales ad huiusmodi actionem tutò, vtiliterq; adhiberi possunt, etiamsi

amsi Hippocrates Chirurgiæ fuerit et stu
diosissimus & peritissimus, tamẽ Medi
cinam Chirurgia superiorem statuens,
dignitati medicorum hac via benè consu
lendum putauit, in qua obseruatione ex
emplum posteritati reliquit hippo. digni
tati artis semper quiduis esse postponendũ
nec lucrum Medico qualibet ex re suaue
esse debere: habeatur igitur in omni actio
ne honestatis maior, quàm lucri ratio.
Qui secundum artem calculo laborantes
secant, locum inter anum & scrotum, vbi
videlicet collũ vesicæ in musculum abit,
incidendo aperiunt. Nam ea pars mus
culosa instrumentis dilatari, & tandem
exemptis calculis consolidari potest. Per
vulnus arte dilatatum immittitur in ca
uitatem vesicæ aliud instrumentum sub
tile quidem & forte, tenellæ forma fabri
catum, quo primum calculus capitur, de
inde

inde paulatim foras educitur: Calculi vero non sunt vniformes, horum quidam sunt mirum in modum indurati, quidam grumosi, qui leui de causa in grumos soluuntur, cùm instrumentis comprimuntur: Est hæc differentia in secando sedulò considerandæ; si enim in grumos diuidatur, molestior est exemptio, & vulneris consolidatio diuturnior. Quod tenellis euocare difficilè fuit, propterea quòd propter fragilitatem prehendi instrumentis non potuit, id cochleari à quibusdam effertur: quo quamuis aliqua pars euacuatur, reliquias in Vesica superesse indicat locium quotidianum grumis valdè turbulentum. Quocirca vulnus cicatricem non admittit antè, quàm integrè, quicquid præter naturam in vesica hæret, effluxerit. In quo casu renes examinare conuenit, num ab illis aliquid, quod arenosum est, demittatur. Cuius rei si

aliqua

aliqua ſuſpicio eſt, renes idoneo medicamento & abſtergendi & purgandi ſunt quàm fierj poteſt citiſſimè. Sed hoc loco artem ſecandi docere non eſt animus. Cum autem ſectionis Hippo. recordetur, & ſecando etiam hodiè pleriq; ab infeſtiſſimo hoſte calculo liberentur, volui obiter medicinæ ſtudioſo agendi modum maximè vſitatum paucis delineare.

IN QVASCVNq; AVTEM DOMOS INGREDIAR, OB ÆGROTANTIVM VTILITATEM INTRABO: AB OMNIQVE INIVRIA VOLVNTARIA INFERENDA CVM ALIA, TVM PRÆSERTIM OPERVM VENEREORVM ABSTINEBO: SIVE MVLIEBRIA SIVE VIRILIA LIBERORVMQVE

RVMQVE HOMINVM AVT SERVORVM CORPORA MIHI CONTIGERINT CVRANDA.

Duo Artis ſtudioſis hoc loco præſcribit ſub forma juramenti Hippocrates; Vtilitatem ægrotantium, qualeſcunq; illi fuerint, & Vitæ integritatem, ſiue caſtimoniam. Quibus ſimul concurrentibus Artis amplitudo magis, magisq; extenditur. Decet ijs rebus Artis vſum hominibus commendare, quibus facillimè animi ad eius amorem incenduntur. Nemini autem ignotum eſt, quanta auiditate in anguſtijs poſiti ſuppetias ſibi ab ijs ferrj deſiderent, à quibus ſe maximè iuuarj poſſe confidunt. Vtilitate quiduis omnes homines metiuntur: Eius enim, quod nemini prodeſt, nullum eſt apud aliquem pretium. Pendet igitur ab Vtilitate Me-

dicinæ authoritas, in eaq; homines propter vtilitatem, valetudinis fundamentum collocant. Quare medicinæ studioso non leue onus imponitur, cùm omnes actiones vtilitatem aliquam adferre debeant: suas illi vires frequenter recenseant, qui manus ad medicinam aliquando applicabunt. Non splendore titulorum, sed actione fructuosa homines Medicum vel probant vel improbant. Quòd verò ob ægrotantium vtilitatem promittat se juramento artis candidatus in domos ingressurum, inhonestos animi affectus simul abiurat, & perpetuum ijs bellum indicit. Ante omnia verò Auaritiæ & immoderati pecuniæ appetitus hostem se declarat, cùm ob vtilitatem ægrotantium, non commodi proprij causa, medicinam subministrare velit. Nam qui vtilitatem ægrotantium sibi proponunt, frequentius in homines egenos & pauperes incidunt, quàm in

in eos, quorum liberalitate sollicitudo, ac studium pretio aliquo compensetur. Abutuntur igitur arte, quicunq; eam sibi ita mancipatam opinantur, vt in ea quiduis statuendi, ab hominibus mercedem pro arbitrio exigendi, & rebus singulis pretium inscribendi potestatem sibi concessam esse non dubitent. Vnde graues errores orirj solent in ijs, qui artem veluti vsuram quandã & vulgarem quæstum prostituunt; qui pedem extra limen efferre nolunt, nisi singulis passibus adæquetur premium. Tum etiam quidam interdùm non verentur mortuos onerare sumptibus, quamuis tamen dum in vita adhuc essent, parum profuit ipsorum studium. Quod impudentiæ signum maximè in spurijs artis cultoribus conspicuum est, qui vt opum acquirendarum studio medicam artem amplexi sunt, ita in ea nihil aliud quàm opes venantur, officium

feciſſe arbitrati, ſi officioſis viſitationi-
bus ægrotis adulentur, ſibiq; interim pe-
cuniæ ſummam corradant aliquam. Iu-
ramentum Hipp. aliter ſonat, & potiſ-
ſimum omnium ægrotantium vtilitatem
ſectatur, ad quam, qui veri Medici no-
men adipiſci volunt, omnes animi, inge-
niiq; vires dirigunt, noctes & dies vale-
tudinis ſtatum in animo voluunt, quibus
modis, quibusq; remedijs ipſa reparetur,
præmeditantes. Et in ſumma non in alijs
verſantur animi occupationes, quàm vt
ægroti leuamen ſentiant, & manifeſtam
vtilitatem. Hic animus optatiſſimos in
medendo producit fructus, artis dignita-
tem amplificat, hominumq; beneuolenti-
am & ſpontaneam gratitudinem conci-
liat. De nemine ſtudioſius conatur ali-
quis benè mererj, quam cui vitam ſuam
tutiſſimè committat, vtiliter ſe hoc fa-
cturum quotidiana experientia edoctus.

Sit

Sit igitur Medicinæ candidatis præcipuus Medicinæ ſcopus ægrotantium vtilitas, hoc conſilio toto vitæ tempore in medica arte euoluenda erunt aſsidui, & omnis ab ijs longè temeritas demigrabit. Interim multorum liberalitas in tenaciſsimam auaritiam conuerſa graui admonitione, ſi morigeras aures nobis præbere non grauarentur, indigeret. Quorum illiberalitate animi honeſti a medicinæ cultu ſæpè abalienantur, curarum grauiſsimarum propter ingratitudinem pertæſi. Dignus eſt operarius mercede: & cum nihil alicui charius vita eſſe poſsit, benignè eſſent tractandi illi, quorum beneficio ipſa vita inculpatiſsima quàm diutiſsimè conſeruatur. Quod additur. Ab omni iniuria voluntaria, & corruptione cum alia, tum præſertim operum venereorum abſtinebo, &c. plurimum artis commendationem promouet. Quantoperè me-

dicum homini iniuriam aliquam inferendi occasiones seducere possint, si aut innata, aut disciplinâ acquisita probitate æquitatem seruare non didicisset, omnibus in confesso est.

Decet igitur Medicum virum esse, in quo omnia virtutum exempla eluceſcant, & imprimis studium, vnicuiq; benè faciendi, nocendi verò nemini, pespicuum omnibus esse debet. Quot enim homines in orbe terrarum existunt, tot de medico sententiæ & opiniones extant; cùm liberum sit de vnoquoq; sentire, statuereq;, quicquid & in mentem, & in buccam venit. Quibus omnibus vitæ integritate, animi candore, innocentia & potissimum castitate obuiam eundum. Si exemplis impudicitiæ ad maledicendum, maleq; suspicandum nemo inuitetur, & linguam nihilominus maledictis exerceant, æqui boniq; consulendum est, & tutela

tela innocentiæ relinquenda est. Sed quia medicinæ cultores magnam apud ægrotos libertatem necessitate semper obtinuerunt, vnde suspiciones oriuntur variæ; ex re est Medicorum Iureiurando ab ipsis cuilibet caueri, nunquam velle hac libertate abuti. Hac via sinistræ opiniones meritò diluuntur. Quare Hipp. Iusiurandum eius generis controuersias dirimens, summo in honore sit apud omnes homines. Medico authoritatem conciliat, & fidem hominum corroborat. Quod in Medico castitas, idem ferè taciturnitas operatur; neq; hæc, quàm illa, minorem gloriam parit. Rectè igitur Iusiurandum.

QVÆCVNQVE VERO AVDIERO, AVT INTER CVRANDVM VIDERO, IMO ETIAM AD MEDICANDVM

DVM NON ADHIBITVS IN COMMVNI HOMINVM VITA COGNOVERO, EA, SIQVIDEM EFFERRE NON CONTVLERIT, TACEBO, ET TANQVAM ARCANA APVD ME CONTINEBO.

Vt Medico in illa libertate, quam neceſsitas ipſi apud ægrotos concedit, ad varias nequitiæ ſpecies via aperta eſt, niſi probitatis anchoram animo ſuo infixerit: Ita varia in communi vita huic frequenter occurrunt in ædibus, in quibus ægroti decumbunt, quæ non conducit in omnium aures inſtillari. Præterea variis affectionibus in diuerſis corporis partibus corripiuntur homines, quas curarj ſtudioſiſsimè cupiunt, diuulgari nolunt. Faciunt prudentes homines de Medici tacitur

citurnitate sæpenumerò periculum in rebus nullius momenti, quas ipsius fidei committunt. Nec obseruant minus diligenter, si quid eliminet, quod fortè ex improuiso incidit, dum ad ægrotos intromitteretur; quorũ aliquid si effutire comperiatur, indignum censent, cui secreta corporis credant: hoc nomine plurimum de Medicinæ authoritate decedit. Vult igitur in hoc jureiurando Hippocrates Medicos omnibus modis artis dignitatem tueri, vitamq; ita instituere, vt medicinæ authoritas crescat, non comminuatur. Ad quod magnoperè medicorum grauitas singularis requiritur, qua qui præditus est, talem constantiam, talemq; continentiam præ se ferat, & omnibus hominibus polliceatur, cui abditissima quæq; consilia, veluti muro, tradi possunt. Eum, qui hisce animi dotibus vacat, longissimè à Medica arte jusiurandum Hipp. seclu-

dit, & honestorum virorum consortio perpetuò indignum iudicat. Nihil homine pleno rimarum in communi vita turpius est; nullum est leuitatis efficacius testimonium in viro, quàm garrulitas. Rectè igitur monet Hipp. quæcunq; inter curandum audiuntur, & in communi vita cernuntur, modo efferri non contulerit, non solum non diuulgari oportere, verum etiam tanquam arcana continenda esse. Imò ne maleuolis hominibus vel minima criminandi occasio præbeatur, ne illa quidem, quæ sine vlla offensione spargi liceat, in medium leuiter producantur. Prudentia aliqua illustris animus, quid & quo loco aliquid referat, quod vel auditum vel visum est alicubi, etiam atq; etiam præmeditatur: si interest alicuius, rem auditam taceri, necessitas taciturnitati modum præscribit; sin tenuitas rei copiam fecerit euulgandi, propterea non

recor-

recordatur in aliqua societate, quòd ab omni homine audiri & dici possit: tum etiam personæ grauitas istam muliebrem confabulationem superabit. nec decet omnes omnia promulgare. Hisce virtutibus instructus prodeat ad ægrotos Medicus, & animi constantis & omnis honestatis studiosi exempla nusquam non conspiciantur. Ita demum ars medica admirationem sui apud omnes homines excitabit. Ita Hippocratis expectationi, eiusq; in Iureiurando institutioni per omnia satisfiet. Ita Medicus in omnibus se officio suo respondere posse testabitur.

HOC IGITVR IVSIVRANDVM MIHI INTEGRE SERVANTI ET NON CONFVNDENTI CONTINGAT ET VITA ET ARTE FOELICITER FRVI, ET APVD

APVD HOMINES IN PERPETVVM GLORIAM MEAM CELEBRARI, &c.

Iuramẽti præstandi consuetudo vt ab invocatione Deorũ inchoatur, ita precatione quadã fœlicitatis & salutis æternæ claditur, in qua precatione ostẽditur, res, quæ in forma juramenti cõprehensæ sunt, iurantibus cordi existere. Amplius etiam significatur, animum ad huiusmodi Artis culturam sponte paratũ fuisse, nec ab ipsis initijs in institutione a præceptoribus aliam doctrinam didicisse, in qua & viuere & mori semper fuit constitutum. Præceptores parentum loco habendos: Ægrotantibus vtiliter inseruiendum, ab omni inhonesta actione abstinendum esse prima educatio seueriſsimè docuit & admonuit. Quarè cùm animus ad honestè agendum sit expeditiſsimus, & quia nihil sit in toto Hippocratis juramento, quod

quod à ratione dissentiat, etiamsi jure-iurando ad huiusmodi vitæ normam nunquam duceretur, nihil istorum voluit intermittere. Iuramentum integrè & totis animi viribus seruabitur, quòd honesta omnia sint, quæ in eo præcipiuntur. Quum igitur animus planè rebus juramenti addictus sit, & extremis viribus juramentum seruare velit, nam hac conditione fœlicitate beari postulat, orat vt & arte & hac vita contingat fœliciter fruj, & gloriam suam apud omnes homines in perpetuum celebrarj.

HÆc omnia sunt in homine Ethnico cum admiratione obseruanda. Primùm honesti viri officia suspicit et omnibus de honestate & ægrotantiũ vtilitate, fidẽ facit. Deinde in medicinæ exercitijs, primo loco fœlicem precatur successum; quod magis in commodum ægrotantium cedit, quàm proprium. Tertiò, vita optatur valetudine, & dexteritate tranquilliśi-

quillissima, vt Reipub. ad multos annos, sine vllis impedimentis, camulatissimè operam suam nauare liceat. Postremò, nominis sui memoriam, & rerum fœliciter gestarum gloriam apud omnes homines perennem esse efflagitat. Quæ omnia, vt voluit, summus Artifex consecutus est. Quod in tantis, & tam frequentibus rerum mutationibus clarissimi Viri gloriam obscuraret, hactenus nihil prodijt; manebitq; idem ille apud omnem posteritatem, eâdem gloria celebris. Talem fœlicitatem procurat animus honestus ab ineunte ætate in omni virtutum genere enutritus. Ita vtilitatis publicæ amor, & studium æternâ tandem gloria compensatur. Omnes eius animi occupationes rebus inueniendis, a communi hominum captu remotioribus, inhærebant: Commune bonum, summum semper bonum iudicauit. Hoc qui faciunt pro animi

mi viribus, nominis iure immortalitate nobilitantur. Huius vestigia ingrediantur Medicinæ studiosi; eius exemplo discant publicis commodis vtilitates proprias postponere, in summoq; lucro, non pecuniæ thesaurum, sed nominis æternitatem habere. Non difficilè erit animi viribus hûc conniti, si intra juramenti limites perpetuò consistant: Sin transgrediantur, & periurj fiant, hîc contraria eueniunt; medicis operationibus nulla vnquam aderit dexteritas: nulla apud homines honestos existimatio: obscuro loco in hac vita perpetuò erunt; Et, vt pecuniæ studio noctes & dies inhiant, cuius nomine nihil non tentatur: sic cum facili pecuniæ iactura omnis gloria euanescit. Hæc quamuis sponte inhonesti animi studium sequantur, Hippocrates tamen animum, honesti mirum in modum sitientem, declarans, optat inaudita seueritate, si

mens

mens cum rebus juramenti non consenti-
at, & non in omnibus eius formam fa-
ctis exprimat, æternam infœlicitatem,
& nominis sui subitaneam obolitionem.
Quibus verbis, omnium hominum men-
tibus sincerum merito judicium de Medi-
cina, eiusq; cultoribus, imprimitur. Nulla
enim esse grauior potest obligatio, quàm
qua omnibus Diris, omni turpitudini,
omni deniq; calamitati aliquid deuouetur.
Si siniſtræ de Medicinæ cultoribus opi-
niones hac via ex animis hominum non
tolluntur, nihil excogitabitur tam effi-
cax, quod aliquam fidem apud homines
probos merebitur. Quare artem Medi-
cam sedulò amplectentibus, principiò
Hippocratis Coi jusiurandum ob ocu-
los collocetur, in eoq; tanquam in speculo
suum animum contemplentur, & certis-
simè persuasum habeant, dubiam perpe-
tuò fore in medendo dexteritatem, nisi
animum

animum suum, cum animo Hippocratis consentientem, ad Artem adduxerint. eumq; in tota vita optimis exemplis expleuerint. Quod ne difficilè alicui videatur, artem prorsus diuinam esse, omnes artes sua excellentia superantem, recordetur: Quo posito, si mens ad pietatem procliuis est, ijs vltrò, citroq;, quæ in Iureiurando Medicinæ studiosis exhibentur, subscribent, & Præceptores parentum loco habebunt: maturè & dextrè de victus ratione, deq; omni remedio, facultatem aliquam ad valetudinem alluturo, pro facultate & judicio suo rationem inibunt; fides nullius rei pretio violabitur; castitatis simul & optatæ taciturnitatis exemplis, omnibus iure calumniandi fenestram occludere extremis viribus conabuntur. Hæc omnia, vt ex animo proficisci necesse est, ita prosperam medendi rationem, & nominis æternitatem pro-

creabunt, si factis per omnia exprimantur. sin secus, fortunæ ludibrium in singulis actionibus experientur, nullaq; posteritas eorum gloriam celebrabit: frustra enim verbis, aut ore, Hippocratis jusiurandum recitatur, si neq; voluntas perficiendi, neq; animus verè ipsi addictus, in medicinæ studiosis præcesserit. Iuramentum hominis interioris index est, qualisq; sit, & esse velit, eo interueniente hominibus adfirmat, quod sine ipso valdè ignotum erat. Iurant itaq; artis canditati, non quòd nolint tales se præbere, iuramento omisso, quales se, eius interceßione, futuros indicant, sed nè de ipsorum animo et voluntate illi potißimum dubij sint, quorum valetudo eorum operam & auxilium aliquando implorabit. Quocirca nulli non gratum erit Hippocratis jusiurandum, eiq; lubenti animo subsignabunt, quicunq; animum hisce

virtutibus

virtutibus præditum ad artem medicam allaturi sunt. Nam ab hisce solis Medicina verè petitur, cum vtilitate colitur, & optimam spem, ita affecti, omnibus hominibus de se faciunt, perennemq; nominis sui gloriam dignissimè & soli obtinebunt. Hæc volui breuiter in gratiam studiosorum de iureiurando Hippocratis delineare, eorum est, qualemcumq; hunc laborem boni consulere.



PARS SECVNDA:

QVOMODO MEDICORVM VITA ET ARS SANCTE CONSERVETVR, ET ALIAS traditiones Medicinæ studiosis necessarias complectens.

AVTORE

PETRO MEMMIO.

ROSTOCHII.
TYPIS AVGVSTINI
FERBERI.
Anno M. D. LXXVII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn861504348/phys_0113



Hypotheses.

Medicina donum est, diuinitus ad nos profectum.

Quid in Medicinæ cultoribus dono sanctissimo dignum exigatur.

De Academiarum officijs institutisq.

An vrinæ inspectio sit admittenda, quæ hodiè medicis familiaris est.

Recta medendi ratio, ægri præsentiam desiderat.

Medicus vt suo satisfaciat officio, tenetur adulteros medicinæ cultores ratione reprehendere, accusare, vincere coram senatu.

Magistratus debet in eos animaduertere, qui specie recti, & titulo boni viri, reipub. noxij sunt.

Medicorum vnius reipub. concordia & vnanimi consensu opus est.

Erroribus in medicinæ vsu versantibus medicus non indulgere, sed corrigere debet.

Consulto faciunt, qui sibi medicum peritum ac probum conciliat domesticum.

PARS SECVNDA.

QVOMODO MEDICORVM VITA ET ARS SANCTE CONSERVETVR, ET alios traditiones Medicinæ studiosis necessarias complectens.

MEDICINA DONVM EST DIVINITVS AD NOS PROFECTVM.

IN omnibus rebus, ad quarum exercitationem animum quis applicaturus est S. MAXIMIQVE DEI gloriæ præmittenda est indagatio, ne dum animus applicatus est, ignarus quantoperè diuina in nos liberalitas ad gratuitam gratiarum actionem

constringat, ipsi meritam laudem præclu-
serit. Quod an in quauis alia scientia
magis quàm in hac nostra Medicina sit
faciendum, hoc illi, quibus fundamen-
tum MEDICINÆ cognitum est &
perspectum, iudicent. Cæterùm scienti-
am diuinam, quæ Dei & rerum diuina-
rum perfecta est cognitio, ab hac nostra
scientia volo separari, in qua scilicet præ-
ter Deum & quæ ad illum attinent, aliud
tractetur nihil. Quum verò secundum
hanc plus obtineat diuinitatis MEDI-
CINA, quàm vlla ex ijs, quæ huma-
nis coluntur ingenijs, hoc magis cum ali-
às, tum maximè vbi quis medicinæ vsum
in manus ceperit, quantum Medicina
Sanctissimo Maximoq; Deo acceptum fe-
rat, videtur reliquis rebus postpositis,
sedulò disserendum. Nam incognita Dei
dona, atq; ab oculis humanis recondita,
neq; homines ipsa reuereri, neq; cum gra-
tiarum

tiarum actione vsurpare solent. Ad quod negligentissimi conspicimur, etsi in rebus & muneribus diuinitus palàm ad nostrum vsum proficiscentibus. Atq; hoc vitij genus non minus frequens est, in quibusdam Medicinæ ministris, quàm in alijs hominibus quibuscunq;. Existunt etenim medicorum nonnulli, quorum vita, verborum mendaci leuitate, moribusq; incompositis, haud secus medicina conspurcatur, ac si huius ipsi fuerint largitores, non Deus. Laici autem in hac vsurpanda, sunt plusquàm æquum est, leues. Non enim pro dono medicinam ducunt, alioqui ab ipso Deo acceptam: sed hominum commentum & fabulas quasdam existimantes, necessitate coacti, languida spe salutis, eam sibi dari optant: quemadmodum naue fracta, apprehensa scapha, quis enatat expes. Proinde etsi res est per se satis obuia nostris sensibus,

&

& a multis præclarisq; viris sæpè & gra
uiter celebrata, videtur tamen apud non
nullos hæc nostra ætas omnium bonarum
exhortationum veluti immemor, quan
dam redintegrationem postulare: tum
quòd alios esse constet, qui in hoc ipso sæ
culo omnia propemodum recudunt retra
huntq; ad formam oppidò laudatam, vsq;
adeò, vt si vnquàm aurea fuerint sæcu
la, propediem nobis ea adfutura confidam.
Atqui cùm nihil sit in rerũ natura, quod
efficacius enormes hominum mores effre
natasq; voluptas coercet quã recta consci
entia, quæ timore dei gubernatur, non abs
re de vsu Medicinæ initium dicendi, ab
ipso deo capiendum, sum arbitratus. Nam
quod in hominum conspectu, quibus quod
volunt, persuadent, facere complures non
verentur, certè vbi MEDICINAM
munus diuinum esse meminerint, omnesq;
huius abusus plectendos esse grauissimè,
si

si sana illis mens est, domini in tempore indignationem effugient. Nam hominibus quam struunt fallaciam, struere eam Deo non poterunt: adeo vt non solum hominum opera, sed cogitationes etiam perlustret. Putásne leues fore in illos animaduersiones, quorum animi tanta peruersitas est, vt solius lucri gratia, pro remedijs salutiferis, mortem ægrotantibus propinent, quanquàm se ignorantiæ prætextu defendant? An ignota inexercitataq; disciplina cultorem suum tandem a supplicijs cõmeritis liberatura sit, quum medicinam incolumitatis gratia largitus sit altißimus, ne corpus sanum desit, in quo mens sana habitet: ne omnino quisquam in hac vita sit, in quo diuinæ clementiæ misericordiæq; testimonium non extet? Sed mihi respondent, pro viribus sese ægrotantium sanitatem tueri, neq; supra vires posse volare quenquam. At

ego

ego eorum responsa non emo. Non enim ingenij vires cum morborum magnitudine coæquandæ sunt, ita vt liberasse conscientiam te credas, si ex ingenio nihil amplius accedat ad auxilium ægri: quin acerimum te tui ipsius iudicem esse oportuit, primùm an vlla in te medendi sit oportunitas, quam si sat idoneam inueneris, vtrum illam exacueris doctos audiendo pædagogos, doctorumq; legendis libris: quorum omnium, singulorum morborum, hominum naturarum, rerum deniq; omnium, quarum vllus est in medicina vsus, perfecta exactaq; cognitio, finis est. Quod tametsi paucis verbis comprehendatur, annos tamen operosamq; diligentiam & ingenium appositum desiderat. Non est igitur temerè appetenda medicina, sed est intuendus finis, & ob oculos habendus auctor, testes pergraues: quanta sit religione medicinæ

cinæ cultus instituendus. Sed quùm alibi de medicorum regula vberior futurus est sermo, inpræsentiarum de illis dicendi progressum reprimam, conaborq; pro ingenij viribus, vt medicinam donum esse diuinitus profectum omnes intelligant.

DOnatam mihi medicinam ostensuro, principiò ipsius fundamenta prosequenda occurrunt, quæ sunt sanitatis restauratrix materia, & cultura artis ratione peruestigabilis. Hæc si ipsi sibi homines suppenditent, mea iure vt euertetur sententia: ita e diuerso rata firmaq; esse debebit. Porrò ratio nobis diuinitùs insita, apta facultas est & idoneum instrumentum, quo in eo vitæ statu, reipublicæ commodos nos esse licet, ad quem diuino nutu accommodamur.. Ita ethnici stimulo naturæ ad animorum exercitationes

tionis prouocati (nam naturæ & fortunæ illi, quæ nos soli deo tribuimus, adscribebant, eos qui naturæ non satisfecerant, ludibrio: qui verò excelluerant, honore immortali excipientes) maximam in rempubl. vtilitatem congerere operam dedêre sedulò. Exempla multa sunt & varia. Proinde etsi medicina a nostris maioribus ratione inuenta, hac nostra etiam tempestate, eiusdem interuentu regatur, quam ob causam huius primordia ad solos inuentores transferre fortè nonnullis placuerit, nihil tamen nostræ sententiæ deciditur. Quia & ipsam rationem accepimus. Accedit ad culturam artis animorum procliuitas, quæ non ex humana potentia rationéue, sed aliunde nascitur. Siquidem cùm omnes homines sint ratione præditi, omnium sanè æqua foret ad indagandum inueniendumq; deniq; ad omnes res indifferens procliuitatis portio.

Qua

Qua de causa omnes nos non solùm medicos, sed etiam cuiusuis rei exercitatores esse a paruo oporteret. Sed huic consecutioni, exercitationum animi varietas, quæ inter rationis participes versatur, aduersa contrariaq; exempla euidenter suggerit. Constat perpaucos existere in tanta hominum multitudine medicos, atque inter illos paucos, multos esse spurios. In alijs disciplinis vicissim congregantur, quorum opera earum commoditatem vtilitatemq; percipit communitas. De mechanicis operarijsq; exercitijs, nihil hîc attinet dicere, quorum discrimen magnum est & varium. Varietate hac ægrè respubli. vacare posset, quòd maior est humanarum rerum indigentia, quam sibi quisq; eas proprio studio facilè comparauerit. Quare cùm omnia quæ ad prosperitatem reipublicæ conducunt, tantùm ratione præditi in vsum promouent

communem: rationis duntaxat interce-
ſsione, vt primi & ad hanc rem præcipui
inſtrumenti iſthæc conciliari fateor. At
animi ſtudiorum tanta in republica di-
uerſitas, ad ipſius tutelam neceſſaria, ad
hanc exercitationum varietatem aliunde
hominum ingenijs inſitæ appetentiæ te-
ſtis eſt. Hoc etenim ſi in rationis claue
deretur præſtantia, ad varia eſſet animi
procliuitas, nihilq; foret ſenſibus abſcon-
ditum ſingulorum. At quia omnibus
partibus cæteras in corporibus dotes fa-
cilimè vincit ratio, cuius auctorem De-
um profitemur, videtur concluſio futura
irreprehenſibilis, qua Deus excellentio-
ris muneris largitor auctorq; probabitur,
vnde Deo exercitationum neceſſariarum
appetentiam adſcribendam iure exiſti-
mamus. Igitur ad veram artis cultu-
ram venit nemo, niſi cui a Deo ingeſta
eſt appetentia. Ratio autem adminicu-
lum

lum quoddam, quo appetentia ad vsum commodumq; reipublicæ excluditur etiam a Deo distributum hominibus. Verùm non solùm probabilis hanc nostram sententiam tuetur ratio, verùm etiam sanctum sacrumq; Dei verbum nobis veluti fortissimus murus est, & propugnaculum firmissimum. Huius testimonio non vna eademq; spiritus sancti dona esse cernimus, sed multiplicia & varia. In horum catalogo dona recensentur sanitatum, quæ maximè ad appetentiam culturæ & vim illam referri debent, quæ rationem ad salubrium, insalubrium, neutrarumq; rerum inuestigationem dirigit, ijsq; inueniendis dat auxilium. Hac eadem virtute homines ad alias atque alias probas quidem & vtiles exercitationes quasi manu ducuntur. Quùm igitur donum os sacrum appellauerit, non ex homine medicina est, sed diuinitus nobis tri-

buta & conceſſa. Verùm hæc de cultura vna medicinæ fundamenti parte dicta ſufficiant. Qui autem dicunt Deum creaſſe medicinam, ad alteram medicinæ fundamenti partem ſpectare arbitror, materiam ſcilicet ſanitatis reſtauratricem, quod vox illa creaſſe ſignificat. Quòd autem huius materiæ Deus auctor eſt, præter iamiam dictam auctoritatem, hoc modo etiam probabile eſt. Deus miſericordiarum dominus, in mundi exordio affectu in omnes homines ineffabili, primùm creans cœlum & terram, ipſa tanta rerum & quidem laudabilium omnium expoliuit varietate, vt omnium hominum linguas longè ſuperet. Quis enim vnquam a muliere in lucẽ eſt editus, cuius aut facundia aut ingenio ſatis illuſtrari potuêre? His autem ornamentis productis, omnium poſtremò e limo terræ formauit hominem, omnium rerum veluti domi-

dominum, & ad mundi finem, possessorem perpetuum. Sed vt non solum huius splendoris diuitiarumq; maioris essent participes, sed ad nos etiam, & ad posteros vicissim diuinæ bonitatis & potentiæ peruehatur memoria, placuit clementissimo virtute verbi sui, omnia quæ in nostrum vsum condiderat, donare veluti quadam immortalitate, crescite (inquit) & multiplicamini, producantq; singula sementem iuxta genus suum. Hanc virtutem annua rerum repullulatio commemorat, nosq; earundem rerum prouentu optatam valetudinem defendimus, iniucundam verò ingratamq; ad pristinum statum reducimus. Nulla deniq; corpori adhibetur cura, quæ non ab ijsdem rebus promitur. Quod si ad extremum quis voluerit persequi, equidem ignoro, etsi vires responderint, si tempus aliquod pateretur. Siquidem cum vtilitatibus ha-

rum rerum, non parua coniuncta est voluptas corpori. Huius naturam pascit alitq; varietas, vt commoditates omittam singulares. His rebus Christus, quamquàm verbo id facere potuisset, in tollendis ægritudinibus interdum vsus est, vt oleo & vino, quasi ex proposito, quæ ab initio condiderat, quantoperè ad sanitatem essent conuenientia remedia, ne dum alimenta, testari voluerit. Sed solius corporis gratia, non videtur omnium rerum orta generatio, quamuis re, oculis, rationeq; nostris corporibus in illis plurima commoda consideramus, quin etiam animæ tum rerum substantia, tum earum ortus & interitus censendus est fructuosus: vt nihil repereris in corporis humani fabrica, ad quod non aliquod iuuamentum ex varia illa & inexplicabili rerum supellectile affluxerit. Nam vt corporis vitam necessariam, suauem, commodamq;

sustinent,

sustinent, sic animæ rationiq; quoddam speculum sunt, & imago vitæ beatioris. Etenim quàm omnium rerum certis temporibus constantem cursum reditumq; floridissimum contemplamur, non solùm altissimi potentiam diuitiasq; cogimur admirari, sed in animo etiam nobiscum reuoluere quanto dedecore nos ratione præditi (qua illis excelsiores superioresq; iudicamur) multo minus quàm irrationalia diuinæ maiestati obtemperamus, Præterea quòd rationis ope ferè inscrutabilia Dei in nos munera intelligimus quidem, sed ne tantillum pro gratuitis donis referimus, quanquam tamen à voluntate diuina passim in sacris literis ad laudis relationem admonemur, & meritò quidem. Cum enim pro beneficijs & bonis, quibus in hac vita fruimur, gratiarum actiones iubentur referri, cognoscimus vtiq; nihil eorum nobis esse pro-

prium, nosq; ab alterius benignitate pendere. Hinc nobis ambitio elatioq; animi deprimitur (vehementes animæ morbi) & suus Deo honos integer seruatur. Quare quæ corporibus conseruandis conducunt, eadem animæ moribus conferunt, vtriusq; non repudianda propugnacula sanitatis. Quæ cum nobis Deus, ac cum his rerum gerendarum appetentiam & rerum distributricem rationem donauerit haud perperàm Medicinam donum esse contenderim.

QVID IN MEDICINÆ CVLTORIBVS DONO SANCTISSIMO DIGNVM EXIGATVR.

QVanquam spiritu humanas mentes ad artis culturam rerumq; salubrium notitiam dirigi nostra patefecerit disputatio, tamen esse ausim dicere complures

plures, qui noſtram hanc artem rectè religioſeq; vſurpantium ſpecimen duntaxat præ ſe ferunt, malo genio ad talem audaciam ſtimulati. Quod iners ac cæcum de rebus ad ſalutẽ acquiſitis iudiciũ prodit. Hos nihil æquè ab hac animi prauitatæ deturbauerit, quàm poſt huius vitæ curriculum, ſceleratis omnibus imminentis horrẽdi ſupplicij metus. Quotquot enim noſtra opera, medicamẽtis medicamentorũq; adminiſtrationibus etiã pro ingenij magnitudine præſcriptis ex hac tolluntur vita nos in conſpectu diuinæ maieſtatis, haud ſecus accuſant, quam iuſti Abelis ſanguis à fratre profuſus, ipſum criminatus eſt. Quocircà relegandus quiſq; eſt ad ſui ipſius ſtudioſam examinationem prius, quàm eò pergat, quò cœperat. Eſtq; ad primas huius exercitationis cauſas, quibus eò dementiæ quis rapitur, diligens facienda reditio. Fieriq; hæc non debet

perſcrutatio, niſi cum ſpinoſo conſcientiæ ſcrupulo. Quorſum enim attinet primordia falſa agnoſcere, ſi iiſdem ambabus vlnis præter vllam conſcientiæ punctionem, conſtans adhæseris? Inprimis itaque ſe quiſq; ad diuitiarum concupiſcentiam trajciat, cuius ſi vlla fuerit memoria aut ſtimulus, magnum exemplum habet temeritatis. Nec ſecùs contingit, ſi quem ambitio, gloria, dignitates, deliciæ, aliaq; id genus per multa, quorum medicina diues cuiquam videri poſſet, ad hanc facultatem pellexerint. Deinde meminiſſe conuenit, quibus ætatis temporibus primus pruritus, & titillatio inceperit. Nam interest à paruòne, an prouectiori ætate ad medicinæ deſiderium inſtigamur, cùm in pueritia dictarum rerum cogitationes raræ ſunt, in adultioribus autem magis animaduertuntur. Exemplo nobis ſunt Hippocrates, & Galenus facilè

cilè medicorum principes, quorum propè infantia, animum procliuem ad Medicinam ostendit. Imò amplius patris sui somno, magno Medicorum adeoq; totius reipub. commodo, medicinæ est Galenus dedicatus. In his cuncta diuina apparent, ingenioq; fuêre nulli secundo, ab his non solùm fundamenta sed vniuersa structura tanta cum fœlicitate extructa sunt, vt quicquid post illos, ab alijs tentatum est, id omne hos auctores redoleat. Ad horum exempla quisq; sese gubernet & moderetur, atq; se exhilaret, si aliquas delectus notas in se senserit: quarum quidem tenera ætas haud quaquam sterilis est, omnis ambitionis, diuitiarumq; cupiditatis suspicione vacua. Proinde vbi grauioris ætatis homines, priorj vitæ genere relicto, aliam animi dignioremq; exercitationem capessere vsu venerit, protinus improbandum est, si ad hanc vitæ

muta-

mutationem quippiam ambitione comitatum, animos inflammauerit. In quo peccato haud scio equidem, quantas hominum turbas deprehendere liceat. Nam vt à literatis nonnullis oriatur sermo, dum illis de vitæ generis mutatione in mentem venerit, ipsi norunt, quibus quamq; inanibus deliberationibus vtantur. Primùm minimè consultãt, honestúmne sit, an turpe, ad quod transuolandum in animum induxerint, modo vitam splendidiorem, multasq; diuitias polliceatur. Quarum rerum etsi in alijs disciplinis non minor est expectatio, multis modis tamen cæteris omnibus medicinam præferunt. Etenim cùm impolitos se, inexercitatosq; animaduertũt, id genus artificij sibi deligunt vbi tutò libercq; ingenij nænias, & præter specioſi nominis iacturam, animi sordes hominibus offundant. Atq; illi haud stultè sapiunt. Quandoquidem in hoc pulcerrima

pulcerrima eorum concordia est his, quos asperioris vitæ, & assidui laboris, quo victum sibi familiæq; acquirant & parent, vbi per tædium est, labores duramq; vitam deserentes, latrocinio, rapinisq; malunt, quàm laboribus ditescere, si tamen hoc ditescere est. Nec quemuis hi locum suspiciunt diliguntq;. sed eum, qui diutissimè iugulatoriam vim adumbret, & homicidia tegat. Hinc est quòd mercatoribus peregrinisq; longè acerbius instet periculũ in obscuris nemorosisq; locis, quàm in itinere publico et plano. Nam vna cum direptis bonis, homines ferro trucidatos, secum ad vmbras tenebrasq; rapiunt. Par est cum huiusmodi latronibus, ipsorum triumphus & dignitas, nisi eorum immanitas latronum tyrannidem superet. Siquidem præter latronum mores, humanæ vitæ propugnatores sese proscribunt, huiusq; prætextu haud pauciores homines

enecant,

enecant, quàm ipsorum cruenta manus tetigerit. Atq; huiusmodi facinora cum ingenti laudum fœnore perpetrant, si, vbi gulam transfoderint, viderintq; morti proximos existere, de morte verbum præfati sint. Idq; fit, quòd cùm ægris huius rei imperitissimis quoquomodo lambimentum iulepiumq; (si dijs placet) ambabus manibus obtulerint, aduersùmne sit, an propitium minimè iudicantes, vtpote quibus tenuissima elementa ignota sunt, totam se medicinam absoluisse persuaserint. Quùm præcipuum Medicinæ robur sit in essentiæ morborũ cognitione. Quòd si quispiam eorũ manus euadat, haud secus euenisse id arbitror, ac si sanus aduersus inuictissimos latrones duos, solus potiatur victaria. Nam morbi vehementia circundato accurrit suis medicamentis naturam crudelissime dilanians inimicus alter, omnia præter mittens, quæ à sapienti

enti religioſoq́ medico magna religione diſpiciuntur. Huius farinæ infinitos alios hoc habet ſeculum, inter quos hoc diſcriminis inter eſt, quod hi bonas literas ferè callent, illi omnium ſint ſtupidiſſimi. His peruerſitatis ſuſpicionem notamq́ inurere haud opus eſt, cùm ipſi ſeſe quàm maxime produnt, ac omnis malignitatis teſtes ſunt. Huius generis ſunt circumforanei illi principes, ne reges dicam, qui laruarũ modo multifariàm ornati, annulis pretioſis, & torquibus aureis homines ignaros obcæcant. Quibus ſi annulorum loco compedes, & aurei torquis vice laqueus iniceretur, meritis præmium dignum obtinerent. Iurantes ſiquidem ſe Vnguentarijs mendacijs tam magnificè ſplendeſcere, homicidia fortaſſe, & ſpolia ſæpenumerò infamarent, ſi quis eos quæſtionibus coëgerit. Nec infrequens eſt multis in locis, ſplendidis illis Vnguentarijs

tarijs malam crucem egregiè vestiri. Nec mirum sanè, si Deus munerum suorum profanatores tandem puniat. Etenim quot ex illis ad vnguenta permeant, nisi aut alea omnium iactura bonorum facta, aut otij amore, tædioúe fascinati laborum? An horum certè delectus a Deo est? minimè gentium. Hos igitur pro capitalibus inimicis habeat fugiatq; respub. cùm ipsi Dei timore nunquam perterriti, in se vllum iudicium ferunt, ac improbos mores corripiunt. Si enim se ad sui contemplationem inuitarent, haud reprehensione, nec in illos animadversione vlla esset opus, quòd sua conscientia morsi, sese ab hac temeritate vltro abstraxerint. Frustraneum igitur non est nostrum admonitionis officium, quod vtilitati reipub. cui omnia me debere fateor, libentissimè consecramus. Vtinam sui quisque diligens inspector sit, & emen-

dator

dator non ignauus: ita demùm fore arbitrarer, vt omnibus partibus medicina eluceſcat & eximijs laudibus extollatur. Quicunq; autem medicinæ dono ſanctiſs. iniury ſunt, horrendum ipſis Dei iudicium expectandum eſt, qui perſona verorum miniſtrorum induti, tum innumeros homines è vita deturbant, tum inſcitia plurimos per ignoratam medicamentorum potentiam miſerrimè afflictos, multis annis diriſsimè excruciant. Si enim Deus in homicidas à minis non abſtinet, quos à regno exules ſtatuens, apud inferos præſcribit locum, an his plusquàm homicidis euentus futurus eſt optatior qui præterquàm quòd occidunt, honeſti viri loco laſciuiunt, & remedijs ad ſalutem cuiq; à Deo relictis ad fratris ſui iugulationem abutuntur? Hi ſi nobiſcum ſentirent, ad quoduis ſeſe potiùs dederent piſtrinum, quàm in metu verſentur iudi-

cij crudeliſsimi. Itaq; quisquis ad medicinæ culturam iam nunc translatus, aut ſe tranſlaturus eſt, conſultationis cauſas ſemper ob oculos collocet. Nec enim dignitas, nec honos, nec ambitio, nec lucrum, nec otium, nec quiduis aliud, quo quis augeſcere poſsit, ad hæc conſilia adhibendum eſt. Horum ſiquidem Deus nullius gratia, remedia inter homines artemq; medicam diſtribuit: tantùm ne deſit nobis vnde præſentem valetudinem tueamur, abſentem accerſamus, fulciamusq; labentem, vt ipſius in omnes homines liberalitatis miſericordiæq; nuſquam non teſtimonium adſit. Sed cùm neque ambitionis gratia, neq; ſpe diuitiarum exercitationes complectendæ ſunt, quas igitur cauſas exercitandi animi ſibi quis propoſuerit? Vnica Romanis extitit, Reip. ſcilicet vtilitas, ad quam (teſte Tullio) omnes actiones ſunt referendæ.

Nobis

Nobis autem alteram huic placet adiungere, quæ est otij fuga diuinitùs præcepta. Ex hac causarum bipartitione, omnium exercitationum gemina promanat ratio, vna vt otium declinetur, altera vt Reipub. non simus inutiles. Otium præterquàm quòd a Deo interdicimur, fastidit natura ipsa nostriq; corporis odit valetudo. Natura siquidem ad animi occupationes ducimur vel inuiti. Ita enim ab initio cum ipsa comparatum est, vt si rationis adminiculo tibi quod honestum est, in tempore non concilies, quo otium falli possit, prouehet te præcipitem ad aliquod vitæ studium. Adeò naturæ est rationiq; otium inimicum. At quia tum otio, tum natura quodam modo ad turpia magis, quàm honesta rapimur (vt otium omnium malorum origo) fit sæpenumerò, vt ad quasuis lasciuias, libidines, voluptatesq; appellemus. Huc diuinæ admoni-

tiones accedunt: In ſudore vultus tui vescēris pane tuo. Eòdem ſpectat illud Pauli: Qui non laborat, non manducet. Verùm cùm hæc ad theologos potiùs quàm ad nos pertinet diſputatio, ad aliam partem progrediamur. Reſpublica veluti corpus, eſt multis membris fulta, non vt ſit tantùm, ſed vt benè ſit. Porrò corporis membrorum neceſsitas vnica actione non expletur, ſed ſua ſingulis actio inest, quæ ſi ab opere ceſſant, vel omnino non conſiſtit corpus, vel prorſus langueſcit. Ad hunc modum nobiſcum in republica agitur. In hac vnio concors principem locum obtinet, cui eſt magiſtratus præfectus, neceſſaria verò eſt ſingulorum ciuium ad alterius commoditates collatio. Qua ſi reſpublica vacauerit, æq; corruet atque corpus actionibus particularibus deſtitutum. Atqui vt quisq; ſuum artificium expeditè exerceat, & officio fungatur ſuo, non parùm concordia bonáq;

nag valetudo confert, qua ex re medicinæ vtilitas considerari potest, qua cuiq; præsens valetudo defenditur, absens restituitur, hac amissa ciuium ad communes vtilitates nihil proficit collatio. Itaq; ingens est nostra hæc ars reipublicæ columna. At verò quotquot hominum congregationis accolæ sunt (sumus procul dubio omnes) tot membra reipublicæ sunt reputanda: membrorum autem actiones mutuæ, totius integritatem respiciunt. Huius rei testis est corporis humani fabrica. In hac aliqua particula læsa, cæteræ non conquiescunt priùs, quam debito officio totius conseruationi opem ferat. Vnde reipub. vtilitas est, quamobrem hanc vel illam quis animi occupationem suscipit. Huius rei de se quisq; potest exemplum capere, ne longis orationis ambagibus molestus sim. Etenim nemo ita solitudinis amans est, vt eam sibi quærat

ſempiternam: ſed etſi non voluptates cum amicis colloquendi, vitæ tamen anguſtiæ, magnæ quidem & graues, ad multitudinem progreſſum cient, Præterea quotquot reipub. ſe iungunt, plus ſui ipſius gratia commouentur, quàm multitudinis: propterea quòd extra hanc tantum abeſt vt vlla ſit vitæ comitas, vt ne vita ſeruarj queat. Hac de cauſa multos exiſtere in repub. ſuſpicor, magnos quidem illos & glorioſos, quos niſi inopia rerum ac vitæ angor compulerit, hominum congregationes ſocietatesq; ſolitudini poſtponerent, deos ſe præ cæteris exiſtimantes. Cum itaque quiſque ſe vitæ fugiendæ durioris, ſuauioriſq; acquirendæ cauſa ad hominum ſocietates dirigit, certè meo quidem iudicio, ſine ambitione, gloria, ingentiſq; expectatione lucri, ſocietati mutuas operas collocare tenetur. Vt tantas in illam vtilitates, ſuo ſtudio accumulet

(niſi

(nisi velit maiores) quantoperè se ab ipsa iuuari animaduertit. Estq; id benigni beneuoliq; animi officium, beneficia beneficijs compensantis. Hinc facilè colligi potest, quòd otiosa vita vt reipub. inutilis, ita sit ab hac semouenda. Probent igitur se illi ad formas præscriptas, qui aliunde ad hanc artem magna temeritate transiliunt, quiq; ad hanc educati sunt à puero, an ab ipsis propè incunabilis animus ad hanc artis culturam prurierit: quòd si secus, vtrùm consultationes de vitæ genere aliquo deligendo, ad reipub. prosperitatem spectarint: tum deniq; an deliberatione habita, in delecto vitæ instituto, medicina scilicet, aliquas vtilitates in rempub. conferas. Non enim ibi oportet consultationem quiescere, cui vitæ modo te dedas, sed addi necesse est, an in eo quod cœpisti, fortunatus sis & commodus, non tibi, sed reipub: Nam omnium actionum

reipub. vtilitas finis est. Si igitur parùm profeceris, neque rerum in medicina gerendarum cognitione potiare, sed titulo tenus duntaxàt videris velle prodesse & noceas tamen, quòd artis omnium laboriosissimæ inops sis: rursus tecum ineas consilium, an cum pace conscientiæ, & citra diuini iudicij in tales homines metum, queas in hoc exercitij genere subsistere. Non enim animæ nostræ salutis parùm interest, contra conscientiæ morsum diuinasq; leges hoc velle perficere, quod amplexus es, etiam si vtilitatis reip. gratia assumseris. Etenim non ex affectu aliquo, sed actionibus frugiferis colligitur reipublicæ vtilitas. Quare subtrahens te inde, quo nihil ad rempub. conferis, illud quærito, ad quod te aptiorem inueneris. Verùm sua temerarys disciplina tradita ad germanos transeundum & medicinæ domesticos. Quo loco nobis profutu-

profutura est altior muneris diuini consideratio.

IN OMNI DONATIONE, QVÆ ANIMI DONANTIVM ERGA RECEPTORES TESTIS EST, TRIA SPECTARI OPORTET.

PRimum est largitor, alterum acceptor, atque ex his tertium munus ipsum. Siquidem hæc vbi donatio fit, sese mutuò consequuntur. Permagni autem interest, quale munus sit, qualis largitor, & qua conditione, an vllo acceptoris merito, quod vel præcesserit, vel sit subsequuturum, tribuatur. Verùm donationes, quæ ab hominibus erga homines vsurpantur, rarò ita sinceræ integræq; existunt, quin aliam aut cum fœnore, aut saltem parem beneuolentiam expectent.

De his verba non facimus. Versamur autem in illis, quæ deus creaturis suis impertitur. Quare alterius cum alteris est facienda comparatio. Potentissimus largitor Deus, cùm ne vllum quidem nostrum meritum extitit, adeò vt ne humanum quidem esset genus, post vitam ab illo acceptam, omnibus rebus & mundo vniuerso hominem veluti dominum præposuit, etiam rebus ipsis, in quibus vitæ nostræ propugnacula latent, quarum facultates, illius tandem beneficio exploratæ sunt. Vnde certò comperimus, non extare illius erga nos munera, quòd de ipso prius bene meriti fuerimus. Sed an posterius in nostra sit potestate, ipsi pro suis in nos beneficijs dignam remunerationem reddere: equidem nihil præter gratiarum actionem, & vitæ pietatem reperio, quæ etsi sint summis viribus compositæ ornatæq; longè tamen inferio-

res

res manent, quàm cum immensis ipsius in nos gratuitis donis rectè coæquemus. Quid igitur restat, quàm quod largitoris in omnes homines meram misericordiam bonitatemq́, per quam & vitam vitæq́, nutricationes recipimus, agnoscamus? Quare in eundem finem medicinam nobis redditam verisimile est, vt cui vitam acceptam ferimus, eidem vitæ propugnacula adscribamus: ne vlla nobis supersit ad illos spem gratiarumq́, remunerationem transferendi occasio, à quibus nihil consequimur. Si igitur hæc domini voluntas est, vt inter cætera præclaraq́, munera, medicina etiam misericordiæ potentiæq́, incredibilis testis sit omnibus hominibus, omnes sanè huius muneris acceptores statuendi sunt, atq́ ad quemuis pares sine discrimine portiones attinet. Qui autem medicinæ cognitione præditi sunt, ab ipsa voce medici appellati, sacri munerisge-

runt

runt ministerium, quod omnibus sit familiare, quibus quacumq; in re opus fuerit. Hæc cum ita se habeant, quotquot & quibuscunq; hoc munus distribuitur, si ex pristinæ sanitatis recuperatione, aut ad incolumitatem redeuntes, aut astantes videantur velle, quasi ministri beneficio coacti, ipsum magnifica afficere dignitate, ilicò Medicus nihil ad se recipere, sed Deo omnem gloriam adiudicare debet: ne vlla in re, hominibus Dei ineffabilis pietatis misericordiæq; testimonia desint: vt ys tandem, quæ corporis caduci requirit necessitas edocti, misericordiam etiam in rebus maioribus ab eodem petendam non hæsitent. Attamen quem Deus ad distributionem muneris sui non neglexit, hic dubio procul prorsus non erit contemnendus, sed mediocri tolerabiliq; honore locupletandus. Adhæc erit medicus ad cuiusuis conditionis homines æq

æq; paratus, nisi pauperibus & egenis gratis, quos satiùs est nostris ipsorum eleemosynis onere leuari, quàm ab ipsis accipiendo ingraueſcere: ditioribus verò pro mercede digna ministerio, aut quantum ipsi nos suapte beneuolentia augeri volent. Prætereà quòd largitor sit plenus sanctimonia & misericordia, finisq; omnium donorum in nos interpretatus sit, misericordiæ pietatisq; diuulgatio, his virtùtibus largitori quàm maximè vicinus debet esse medicus, ne quorum præ se fert titulum & insignia, ysdem inanis sit & vacuus, quo tandem diuinum munus redditum obscurius, largitoris etiam impedita cognitio, merita gratiarum actione priuetur. At nec vini immoderatos potores medicos esse expedit, non solùm quòd sanctimoniæ pars est abstinentia, sed ne in illis vlla sit importunitas & mora, quò minùs ægrotantibus in

tempore

tempore præsentia remedia exhibeantur. Nã quantũ omnes actiones remoretur, atque ægris sit odiosa crapula, ipsa satis, in ys quos detinet, eloquitur. Huc possẽ exeecranda exẽpla transcribere, nisi mea mihi prohiberet humanitas. Nam duodecim horarum spacio, opera medicorum crapula laborantium, nonnullos interemtos, quorsum attinet dicere? qui postridie necis admoniti, præ ebrietate, a se medicamenta præscripta negarunt. Sed vt vnde digressus sum redeam, grauitas, & in verbis moribusq; constantia adsit, leuitas verò procul aberceatur. Illis siquidem, & dono ministris honos & gloria paritur, hanc verò sequitur vituperium. Id quod non ita pridèm vel palea leuiorj vsuuenit, a quo inter pocula promittebantur huiusmodj, quæ a ratione & natura omnibus modis dissentiunt. Non enim opinor, truncatum membrum, aut amo-

amputata corporis particula, in cuius quam esse potestate, vt redintegretur, aut vllis remedijs cum pristinis coëat partibus. Cuiusmodi monstra etsi pueris ridicula sunt, non tamen eò minùs pro dementium istorum peccatis, graues pœnas luit medicina, siquidem imperiti, non quid medicina polleat, sed quæ illius titulum gestantes cum promissis facta commiscent, iudicant. Quare si facta à promissis discrepent, relictis errantibus medicinam condēnant: huiusq; vsus magis et magis frigescit. Iter cæteras autem animi dotes, quibus medicus adornādus est, præcipua videtur auaritiæ fuga. Nam insatiabilis illa habendi auiditas, constantissimos quosq; seducit, ac bonos mores, dignamq; medico vitam corrumpit. Atqui hac macula complures contaminati sunt. Quotus enim quisq; ex his, in quorum

rum manibus medicina ambulat, non opi-
mi lucri potiùs, quàm rei suprà comme-
moratæ causa medicinam colere existi-
mandus est? An non verus est poëta,
qui pauperem vbique & odiosum & ne-
glectum iacere cecinit? Qui fit? eò quòd
manus ducatis replere nequeat. Verum
illud est, vbi cadauer, ibi aquilæ. Vbi
autem nihil neque seritur, neque metitur,
ibi passerculus rara auis est, atque in do-
munculis pauperum medicus infrequens.
attamen benignos quosdam existere non
diffido, quibus vt ipsi sibi, ita pauperes
cordi sunt, verùm in his ne scintilla auari-
tiæ inest. Nihil enim æq; auaritia odit atq;
labores infrugiferos. Auaritiæ autẽ ex-
pers egentibus ac locupletibus parẽ nauat
operam, immò egentibus, si veri ministri
officio fungi voluerit, potiorem: siqui-
dem non tantùm diuitijs studet, quantùm
misericordiæ diuinæ extollere cognitio-
nem

nem nititur. Quare (vt venia paceq; medicorum dicam) impium facinus censendum arbitror, quo multi ad magnificos triumphos, diuitiasq; superbas euecti sunt. In morbis acutis enim, atq; alijs à quibus actiones principes, noxam accipiunt non leuem, quibus scilicet aut sine interitu, aut magnarum commoditatum detrimento, diu carere nemo potest, quales sunt apoplexia, pestis, cæcitas, surditas, claudicatio, & id genus permulta, præterquàm quòd vehementissimè afflictis plerumq; actiones non resarciant, odiosis ac à vera medicina alienis sunt exactionibus onerare soliti. Atqui si his ipsorum auxilium oportunum fuerit, non sunt tamen ægri tanto tamq; intolerabili pretio redimendi. Nec ius obligatorium, in huiusmodi stipulationibus, vbi æger sui iuris non est, magis quàm ab inimicis in carcere detentus quispiam, ratum debere

esse comprobo. Nam quæ est hæc pietas, videris fratrem tuum pedum vacillatione, incidisse in foueam, in periculo vitæ est, nisi manum porrexeris, tu misericordiæ immemor, citra vllum fraternum affectum, ea lege operam tuam polliceris, si tuo adminiculo submersionem euadat, pro studio tuo, iuramento se obstringat, viginti coronatos præstiturum? O lepidum fraternæ caritatis vestigium. Anne in his iuris valeat auctoritas? simile est in ægritudinibus, ad quarum propulsionem manus iungenda est medicorum. Ad hunc exactionis modum, complures intemperata diuitiarum cupiditate adiguntur, quemadmodùm etiam ad aliud auaritiæ punctum æq, atque illud abominabile. Ad ægrotos etenim spe potiundæ sanitatis rogati, vltra corporis futurum naufragium, quod instare prædicere non veriti idq affinibus, vix cohibere manum a scri-

bendo

bendo potuêre. Quod cui rei potius, quàm auaritiæ imputabitur, quæ illis calcaris vice est, quo compelluntur eò extrà rationem animiq; probitatem, vt vbi suo ipsorum iudicio, nullis omnino consilijs sit recuperanda valetudo, ibi tamen manum operi applicare studeant, ne pabulum auaritiæ desit? Hac ex intemperantia plurima incommoda scaturiunt. Inprimis haud parua Deo fit iniuria, cuius animus est hac sua clementia, cum alijs pariter muneribus, suam hominibus misericordem liberalitatem attestari, hominibus autem nocetur, quod propter eiusmodi obstacula, diuinæ misericordiæ tantùm abest vt gliscat cognitio, vt magis decrescat. Hinc nullæ referuntur gratiæ, nulla beneficiorũ memoria, diuinæq; bonitatis in omnes homines nascitur obliuio. Tum ipsi sibi Dei iram conciliant, qui tantùm sunt quasi in medio reipub. collo-

cati, diuini muneris distributores, quod illis oportet, quorum valetudo postulauerit, omni cum illius dignitate reddi, à quo nobis communicatum est. Quod si qui alicui suum officium præcluserint, quòd parùm aut nihil ab hoc lucri expectetur, ipsi viderint, quo vultu in posterùm, a summo Deo excipiendi sint. Est itaq; non parua virtus in medicina auaritiæ fuga, nec multò minor est castitatis ac probitatis amor, qui aliud est nihil, quàm concupiscentiæ odium & cautio. Etenim improbitatis impudentiæq; crimen, odium diuini muneris incutit hominibus, quod ob ignorantiam iudicijq; imbecillitatem, ad stupra medicinam pro via & occasione ducant. Qui error non in arte est, sed in hominum effrænatis incircumcisisque voluptatibus habitat. Quare ad apostoli disciplinam Medicorum circumcisio non fuerit improbanda, non quidem iuxta

carnem

carnem, sed iuxta spiritum, quales non solùm Medicos, sed in vniuersum omnes homines esse oportuit, vt Dei, non carnis æmulatores esse liceat. An verò Medicinæ cultus gratiarum assidua actione adiuuandus sit, & si nos præterierimus, alia sunt, quorum potens est auctoritas. Ait enim, quicunq; mihi animi offert gratitudinem, is me verè honorat, & recta it ad me, cui ego ostendam fœlicitatem planè diuinam, qua illum faciam perpetuò beatum. Cui sua igitur fœlix erit exercitatio, is precibus recolendus est, vnde accepimus & à quo adiutamur. Sed quum ars sit medicina continuis laboribus comparanda, omnes horæ lectionibus, cogitationibus, studijsq; impertiendæ sunt: quibus est cum medicis associandus Philosophus. Etenim tota ars medica rerum naturalium speculatione clauditur, qua sublata, è medio medi-

cina tollitur. Nam cùm in nostris corporibus medicinæ vestigium, & quidam veluti effectus est sanitas, sanè quibus illa rebus acquiritur, vt digitos quenq; nouisse conuenit, Quare cuiusq; corporis humani, in quo vim suam medicina salubris exercitura est, omnibus modis impetranda erit cognitio. Porro hanc cognitionem non vniuersali quadam corporis animaduersione, sed particulari, quæ omnes seorsum corporis perscrutatur particulas, diligentiori examinatione metimur. Atque id fit hoc planè modo. Quandoquidem corporis incolumitatis morborumq; omnium indicationes, actiones existunt: illius quidem si integræ fuerint, horum verò si valde ab integritate recesserint: quotnam in corpore actiones existant, quæ cuiusq; partis actio sit propria, quæq; ex actionibus vitæ nostræ præcipuæ columnæ fuerint, pari cura, studio,

dio, & diligentia obnixè medicus inquirat, donec singula probè perspecta habeat. Nam præterquam quòd nos actiones vel de optata, vel aduersa valetudine faciant certiores, locum etiam in quo vitiatæ actionis materia latitat, commonstrant. Atq; præter actiones in quauis particula pro naturæ ratione calido, frigido, humido, sicco, conflata temperatura obitas, ipsas partium singularum temperationes non ignorare debemus. Nec quantùm principalia viscera temperamento inter se differunt, siquidem hæc medendi rationem optimè moderantur: ac salutis mortisq; præsagiendæ, sunt quasi vberrimum penarium. Prætereo herbarum, stirpium, fructuum, seminum, radicum, succorum, lacrymarum, gummi, animaliũ, earundẽq; partium, metallorum, deniq; omnium expertissimos medicina desiderat. Adhæc regionum, ventorum,

locorum mutationum, temporum, anni temporum, ætatum singularum, obseruator sit diligens. Non quidem tantùm nominum, quæ vetustas singulis indidit, verùm eorum virtutem, & facultatem ambiat. Ne incertus sit, quænam ex dictis actiones peruertant, læsamùe magis lædant, & quæ vi sua contra noxas polleant. His enim omnibus bona sustinetur valetudo, si rectè quis vti nouerit. Atq; si minus grata fuerit, acquiritur secunda, abigiturq; aduersa. Sin non ex æquo ad nostrum applicentur vsum, quæ læta prius extitit, euadit tristis. Quòd autem actionum cuiq; peculiaria membra, siue instrumenta à natura dedicata sint, non temerè inuenta est corporum mortuorum sectio, græcis Anatome appellata. Plus enim oculus apprehendit, quàm auriculæ decem. Anatome in primis singularum partium situm, subs-

stantiam

stantiam, figuram, magnitudinem, atq; etiam fere sectantibus temperaturam ob oculos ponit. Ex quibus haud exiguus fructus, ad consequendas morborum sedes, & ad medicationem nascitur. Deinde colligantiam, affinitatem, mutuamq; particularum inter se necessitudinem valdè fœliciter exponit. Quibus armatus sit medicus, priusquàm culturæ artis sese adiunxerit, Atq; ita his de medicis institutis finem imponimus, deinceps de Academiarum officijs pauca breuiter, vt cætera omnia, concinnaturi.

DE ACADEMIARVM OFFICIIS INSTITVTISQVE.

PRæcedens de examine medicorum caput, quo se quisque cum artis medicinæ magnitudine conferre iubetur, vtrum scilicet huius exercitatione sit reipubl. vtilis

tilis, sequentem locum postulare videtur de Academiarum officijs & institutis. Vt ibi animum ad hanc artem à puero procliuem quis resciuerit, atq; hoc studio plurimùm reipub. prodesse queat, rectè à maioribus capiat ingenij cultum grandiorem. Quocircà non citrà rationem veteribus hominum quouis scientiarum genere excultißimorum excogitata est congregatio, quæ Academia rectè dici posse videtur. Nam vt omnium rerum, omisso cultu, rubigo quædam contrahitur, ita etiam hominum ingenia veluti quendam situm contrahunt otiosa, nulliq; rei excellenti dedita. Atq; cùm nulla scientia nobiscum à paruo accrescat simul, sed sola rerum magnarum capessendarum quædam promtitudo, ad quam si cultus opportunus non accesserit, haud secus quam gladiolus obtusus dura cote ad commodũ vsum exacuendus reipubl. inepta permanet

net. Est itaq; dicta virorum congregatio horto ornatissimo similis, omnibusq; refertissimo, quibus se quisq; tum sustinere, tum oblectare potest. Nam reipu. hos ad gerendarum rerum necessitatem, hos ad animorum oblectationem, limatulos polituloſq; viros suppeditat academia. Porrò inter cæteros medicorum talis est conditio, vt sine detrimento ijs nunquàm carere possit respublica, siquidem ad res cuiq; familiares obeundas, præsentem valetudinem requirimus, quæ actionum integritas est singularum. Harum actionum cursus munere diuino medicina in cardine seruatur. Ergo quemadmodum hanc artem nunquam ob immensam necessitudinem à repub. abesse conuenit, ita arctiori strictioriq; cura pertractanda est, toto vitæ curriculo. Sed quia illam animi promtitudinem ad artem percipiendam (quam suprà attigi) suo Marte nemo perducere

potest,

potest, non secus atq; vllum vim suam in corporibus exerere medicamen valet, nisi a calore quasi manu ad actiones adductum, Doctores in Academijs, qui ingenijs adolescentum acumen addunt, calori nostro, omnium auctori actionum, haud perperam assimilandi, reipub. sunt pernitiales. Quanquam ita ingenio nonnullos abundare non negauerim, qui primis rudimentis positis, ad fastigia magnarum sæpe rerum natura duce conscendunt. Verùm quia rara hæc auis est, ad ingeniorum formatores redeo. A quibus cùm totius reipub. ædificium pendet, haud exiguæ eruditionis ac prudentiæ viros illos esse oportet. Scimus etenim omnibus in rebus ardentiorem totius ædificij curam fundamentis semper tribuj, cui reliqua structuræ pars tutò innitatur, cuiusq; roborj partes sese, vel ad ruinam, vel defensionem iniuriarum accommodant eminentio-

nentiores. Proinde cùm quisſpiam in alterius locum ſnfficiendus eſt, neſcio cur hiſce temporibus plus fauor & animi valeataffectio, quàm illius rei conſideratio, gratia cuius tam vtili, neceſſarioq; officio præficitur. Sunt tamen fauoris ab animi affectibus orti & errores in pluribus noti. Etenim amoris cum aliquo neceſsitudine quis obcæcatus, ipſius inſtinctu ſuam in illum humanitatem experitur: ſat enim amori eſt, ſi amicus noſtra opera quoquo modo benè afficiatur. Verùm id de amore dictum exiſtimari nolo, qui eſſe inter ſapientes ſolet, cuiuſmodi paucos hoc ſæculum habet. Quippe quibus nihil vtile, niſi honeſtum videbatur. At noſtri temporis amicitia, etiam inter reipub. principes omiſſo honeſto, de vtilitate cogitat. Siquidem anſa nobis oblata, qua illis, quos diligimus, nobis auxiliari licet, beneficia quidem beneficijs non re-

pen-

pendimus, verùm ad aliquot munus rei-
pub. promouemus, quanto ipsius commo-
do, hæc nostra tempora testantur: Cæte-
rum vt quodq; officium iure exponatur,
nihil amici causa, nihilq; fratris quicquam
est faciendum, modo dedecus illi, & rei-
pub. inde vllum sit oriturum incommo-
dum: id quod vbiq; cæteris omnibus lon-
gè est præferendum. Quare in minist ro-
rum reipub. delectu omnis animi excuen-
da est affectio, atque in id summoperè in-
cumbendum, ne delectus reipublicæ non
solùm nihil noceat, sed quàm maximè red-
dat fortunatam. Quòd cum ita sit, ex
multitudine complures proponendi sunt
eruditione & doctrina clari, ne paucitas
angustiaq; electoribus fræno sit. Ex his
tandem omnium huic negocio maximè
consentaneos recipiendos arbitror. Hos
ipsos longa & recta medicinæ cultura,
deq; rebus omnibus ad rectè medendum
requi-

requisitis constans ratioicnatio designat: quibus adhibenda est doctorum virorum manimis applausio. Sed hæc omnia multò sua cuiusq; notitia superat, cuius sit inuerecunda confessio, si quis sibi impar oneri videatur. In diuinam enim vindictam labitur, quisquis vtilitatis reipub. causa, suam operam non elocauerit. Hoc loco quorundam videtur ridicula superstitio memoratu non indigna, quibus visus est nodus indissolubilis, eos qui alibi eruditionem sibi compararunt, docendi hic munerì non posse præfici, quòd extraneis domestici præponendi sunt. Vetus lex ita iubet. Huius legis religiosior est, mordaciorq; obseruatio, quàm vtilitati reipub. conducit. Nam quid si ars medica longa imperitorum traditione eò deuoluatur tenebrarum, vt vix Lynceus illius verum contempletur vsum, ne iue prudentiores duces elegantioresq; præsens

pro-

promittat locus, an asellus elephantem pariet? Sanè permultis constat, quàm fuerit ad tempus talis lex reipub. infrugifera, nùncne sit, an secus, ipsi viderint. Quocircà sine amicorum respectu, antiquarumq; legum contumaci obseruatione, è multis, quos vnica ditio nutrit, est quis ad prælectionem deligendus. Neque absurdum fuerit, alienigenas magno prouocare præmio, stipendioq; publico, si propria tellus idoneorum reperiatur sterilis. Tantæ est auctoritatis reipub. vtilitas. Operæpretium itaque videtur, vt sint diuitissimi linguarum plurimarum, non quidem ad superbiam, magnitudinemq; animi inanem, verùm vt viam, qua ars accumuletur, consequantur ampliorem. Ars enim primos præcipuosq; fontes habet græcos. Horum sermo etsi in latinum idioma satis quidem latinè à multis hodie transfatus sit, tamẽ ipsos græcos latentes ener-

energias vsurpare inter se intelligo, quarum interpretes in transpositione variant semperq; discordes existunt: magis id quidem quod ipsorum in dicendo observata, & quædam peculiaris proprietas, quam interpretum obstinatus animus, syncritatem remoretur. Ad hæc si græcorum monumenta imitatione digna reputemus, digni sanè existimandi sunt, vt à græcis vicissim græcè prælegantur. Præterea non mediocriter grauitatem varietas linguarum excitat, facitq; adolescentiam in magnis expetendis rebus, multò non solum audentiorem, sed etiam auidiorem. Gallia nobis exemplo esse potest, in qua florida est doctorum virorum congregatio, qualis nunquam cuiquam visa est Athenis. Græcorum sermo cuiq; in ore est, adeò vt septennes pueri ipsum & legant & intelligant. Medicinæ verò est græca professio, quod tantoperè audi-

torum animos inflammat, vt pauci ad scholas adeant, qui græcis non sunt comitati auctoribus. Consulto insuper fecerit, qui græco sermoni Arabum linguam adiungunt, quorum puræ translationis hactenus extitit inopia. Scribuntur ab illis multa, nec omnia peregrina, quanquam nemo sit, qui doctorum judicio, præter limitationem sit legendus. Intellexi ex Arabibus nonullos super esse illos quidem manuscriptos, hactenus cælatos, qui de victoria valde cum Auicenna certant. Ex his nihil ipsorum linguæ imperitis inuamenti prouenit. Cæterùm cùm diuitiæ plurimorum, qui huius artis sunt competitores, tam grauibus sumtibus sæpe non respondeant, essent quidem illi subueniendi ære publico, mittendiq; peregrè, vt quicquid apud alios mellitum sit, id apicularum more in vsum reipub. colligant. Quùm autem ad erudiendum paratus est,

ingenia

ingenia auditorum perdiscat. Nam quemadmodum non perinde est, quod sementis genus cuiuis agro committatur, sed pro fertilitate & alimento ipsum variant agricolæ: ita prorsus cum ingenijs hominum agendum est. Quorsum enim docentis discipulorumq; studia aliò spectant, quàm vt disciplina reipub. perutilis, ingenijs auditorum perpetuò imprimatur. Atqui hoc, nisi rebus ingenio assecutis, commodè fieri nequit. Quùm intellectus veluti sigillum sit, imagines rerum memoriæ imprimens. At verò cuiusq; intellectus capacitatisq; ingeniorum indagatio, propter multitudinem fuerit odiosa. Idcirco ipsi se adolescentes aperiant. Non desunt, qui vt voluptatibus animi, famæq; nobilitati inseruiant, relictis spretisq; adolescentium petitionibus, nunc in his, nunc versantur in illis, instar Euripi fluctuantes, quos satius esset re-

coqui recudiq, quàm ipsi alios obtundant. Neque his in delectu vetus illa lex & fauor obfuit, duo reipublicæ nocumenta execranda. Verùm quòd ad auditores sibi accommodos libellos eligendi sit transferenda potestas, hoc solùm sat vehemens argumentum est, nihil posse in re medica existere, in quo non sit versatissimus professor: ne quid his illi obtruserint, cuius enucleatores esse nequeant. Hoc in casu quid illis futurum existimas, qui in ijs, ad quæ ipsi sibi extitêre duces ægrè potiuntur victoria? Attamen tales hodie non desinunt in summo & loco & honore haberi. Si vlla auditoribus in medicina difficultas occurset, ad suos prælectores tanquam ad asylum refugium parent, quùm his nemo illis esse potest paratior. At ipsis interdum prælectoribus contingit, quòd rem non assequantur ingenio: his optimum sit consilium,

lium, omni animi deposita verecundia, pauperiem illis significare, a quibus se posse adiutari confidant. Id quod à nonnullis factum cognosco, quorum in inquirendis rebus obscuris, non exiguam laudem est diligentia merita. Omne tempus, quòd æquum est & iustum, auditoribus applicetur. Estq; in scholis quoquomodo auditoribus nauanda opera, vt lucrum eruditioni aggerant. Oratoria luxuries in exponendis medicinæ auctoribus exulare debet, vt quæ & bonam temporis furetur partem, & vocibus auditores quàm rebus ipsis reddat attentiores. Simplicitas sit, citra tamen verborum barbariem, vt sit quotidiano colloquio perfamiliaris, quæ interpretationibus commodissima est. Ex antiquis autem medicinæ scriptoribus admittenda est optio, quorum retentiores interpretes existunt. Hippocrate verò in medica disciplina

non extant vetustiores, quorum opera aut certior facta est aut lucidior medicina. Sua huius præ cæteris iuterpretatio est Galeno palmaria. Præter hos vtrum alius quispiam vtilius in manibus versari possit dubito, quùm nihil posteà scriptum sit, quod non ab his scriptum extiterit prius, nisi fortè quis eos in ordinem redegerit castigatiorem: quùm nonnulla citra dialectices præcepta veteres tradidisse haud obscurum sit. Quare improuidentiam stupiditatemq; quorundam satis mirari nequeo, quorum cultus neotericorum est, quàm Hippocratis aut Galeni longè officiosior. A quibus non abest ignorantiæ suspicio. Nam quibus Hippocratis mens conciliata est, reliquorum traditiones tantum abest vt sequantur, vt ne semel quidem aspicere dignentur: tanta est nobis ab Hippocrate relicta perfectio. Sed quia pleraq; aphoristicôs ab illo

illo pronunciata sunt, non cuiuis contingit adire Corinthum. Hinc plures ipsum cum blattis & tineis rixari sinunt: seq; ad ipsos traducunt, qui vltrò rem eloquuntur scilicet, & magnis cumulis signa causasq; congerunt. Quasi numero comprehensis notis morborum designetur essentia. Ah quanto satius esset omnium signorum explicare originem & rationem potiùs, quàm ad vnguem illorum, vt a nonnullis factum est, agere computum. Quòd singulorum affectuum signa in aljs atq; aljs nunc grauiora, nunc mitiora, nunc sola, nunc aljs concomitata apparent, atq; hæc ipsa concomitantia sæpe tùm superuenientia & plura, & horribiliora ipsis essentialibus prodeunt. Fit etiam vt corpus pluribus affectionibus vexetur, ibi spectator medicus notarum computator animo pendet, quòd numerus inæqualis sit notarum, quem priùs animo

æqualem comprehenderat. Hinc coactus aliud venatur signorum principium, atq; haud pauciores suspicatur in corpore versari morbos, quàm signa in ipso conspiciuntur. Quod etsi præ arrogantia non concesserit, ipsa tamen inordinata tumultuariaq; medicamentorum index est compositio, in qua quibuslibet signis & corporis partibus simplicia conuasantur, cum copia & turbulentia. Sed ab his ad Hippocratem & Galenum recedamus, quorum lectio, vt frugifera, ita omnibus præponenda. At cum corporum mortuorum sectio, sæpe multis lectionibus præpolleat, frequens eius vsus in scholis erit conducibilis. Quia singularum corporis partium, quæ videlicet earum ratione in ægris corporibus oriuntur, signorum rationem assequimur: quum ipsa naturam partis oculis obijcit. Prætereà quæ partium vicinitate signa excitantur, sectione

omnis

omnis detegitur obscuritas. Cæterùm singulas sectionis vtilitates, non est hic locus obiter perstringendi, quùm vsum medicinæ legitimum prosequamur. Nunquam igitur sectio è manibus deponenda. Sed secandi finis is erit statuendus, donec ab ipsis spectatoribus Anatomia ritè celebrari queat. Quod nisi obseruetur, reiteretuŕq; crebrius, parùm secantium auxilio profecerint. Non videtur vetus Academiarum consuetudo rationi consentanea, quæ binis aut trinis disputationibus transactis medicinæ exercitationis licentiam concedit. Nam quid facilius, quàm quæstiunculam longis lectionibus propè tritam diúq; præmeditatam in scholis publicè tueri, quùm ad hanc bonus interpres pretio sæpe conductus, magnus patronus fuerit? Anne idem parùm latinus parumq; in re medica exercitatus præstiterit? certè quidem. Quid igitur? Ergòne

bonis legibus contradico? minimè, vt qui pro bonis digladior et abstrusas neglectas que innouare cõtendo. Erunt sæpe numerò per me adolescentes in palestram producendi, sed ex improuiso de quo quisq; audire postulauerit, erit veterum more disserendum. Ita futurum est, vt non vniduntaxat argumento insudent, sed vniuersam medicinam pari modo amplexentur. Non enim ex parte, sed ex integro medicinæ est gestãdus titulus. Sed nec ex disputationibus medicinam exercitandi veniæ consentiri oportet: propterea quòd inter curandum & disceptandum permulta inter sunt. Sæpe enim fieri videmus, constantissimos in disserendo viros, in morbis coram discernendis omnium esse infortunatissimos. Hac de causa, quæ perfectioni consummationiq; adhuc deesse videntur, omnibus modis sunt implenda. Atque is extremus est erigendus

dus ſcopus, quem qui attigerit, omnia ſit conſecutus, quæ recta perfectaq; ratio deſiderat medendi. Qui non ſolùm in ſpeculatione artis, ſed in præſentium potiſſimùm morborum iudicio, ac temporanea remediorum ſalubrium inuentione conſiſtit. Ita vbi quis non vnum duntaxàt affectum, ſed varios, non ſolùm iudicarit, verùmetiam præſentibus remedijs profligauerit, medicinæ tandem exercitationis conſenſum vnanimem impetrare decet. Proinde ex lectorum munere erunt à lectione, aut alioqui vbi oportunum fuerit, ad ægros auditores deducendi: ibiq; cum illis ineunda ratio, quo pacto ex præſenti morborum ſtatu, elicienda ſit medendi regula. His rerum coindicantium, temperaturæ ſcilicet partis, & totius ætatis, ſexus, anni, temporum, loci, cœli ſtatus, conſuetudiniſq; adiungenda eſt conſiderutio. Tum deniq; ex indicationum

num elogio, probabilis appositaq; est sar-
cienda techmarsis, id est cuiq; ægrotan-
tium propria medendi methodus. Ita ma-
nu quasi ad exercitationem sunt ducendi,
alioqui huc nunquam, citra graue reipu-
blicæ damnum peruenturi. Solent autem
quibusdam appellata secreta tanquam in
carceribus extra auditorum conspectum
secludi, ne ipsis vllo communicentur mo-
do, idque non vel post excessum ex hac
vita. Id quod est euitandum ijs, quibus
placet cum libertate conscientiæ suum
administrare officium. Siquidem qui in
Academijs ipsis docendi, ac profitendi
munus suscipiunt, sui iuris amplius non
sunt, neq; in hoc quo præesse auditoribus
tenentur, sibi deinceps neque serendum
neque metendum putent, non magis quàm
iurisconsultorum cautionibus sibi seruus
colligit. Auditoribus itaq; qui consen-
sum impetrato, reipub. quicquid à vobis
accce-

acceperint, remetientur, nihil non communicandum est, immò noctes dieſq; omnis mouendus lapis, vt & vberrimam maximeq; ſuccinctam & claram auditoribus curandi methodum præmandant & ingerant. Sed tempus nos ad diſputationem de vrinæ inſpectionibus vocat.

AN VRINÆ INSPECTIO SIT ADMITTENDA, QVÆ HODIE MEDICIS FAMILIARIS EST.

NE me quis prima fronte temeritatis criminetur, quòd rem multis annis, ac tenacibus vnguibus vſurpatam, in aliam à vulgari vſu conſuetudinem coner transferre, priùs de me iudicium facio, ſua vrinam meis diſputationibus dignitate nequaquam priuari. Verùm huc animus

mus ſpectat vt & vrinæ, & vniuerſæ medicinæ cultus ad rectam redeat viam, à qua ſatis iam, ſatis grauiter aberrauit. Ad quos labores nulla re magis, quàm reipub. proſperitatis deſiderio inſtigor: tum etiam ne iuſiurandum, quod Deo præſtiti, & omnibus Muſis, in publicis peccatis violetur conniuendis. Nam qui noxios reipub. errores prætereunt ſilentio, ad illorum reprehenſionem iure coacti, bis peccant. Siquidem præterquàm quòd fidem medicinæ datam ſoluunt, iisdem ipſis videntur conſentire erroribus, & ad perniciem calcaria adjicere concurrentibus: vt omittam eos, qui præter fas non ſolùm non reprehendunt, ſed ad reipub. corruptelam propè duces exiſtunt. Sed vt temerarij nomen euadam, Vrinæ inſpectio ſcopus hiſce temporibus de morbis iudicantium, falſa mihi vitioſaq; probanda relinquitur. Quod

quo

quo pacto sit efficiendum, longa præmeditatione haud opus est. Si enim ars medica certis traditionibus queat stabiliri, eius traditionibus præditorum, semper de eadem re vnum idemq; & constans erit iudicium. Atqui medicina quòd diffinitiua doctrina sit, scientia scilicet, salubrium, insalubrium, & neutrorum, certò constat, in dubijs medicinam limitibus contineri. Siquidem quæ corporis valetudo, ob quam cœlitus medicinam accepimus, vt diuino auxilio adiuti, ipsius misericordiam agnoscamus, quæ inquam corporis valetudo postulauerit adminicula, vt vel in suo statu consistat, vel ab ipso euidenter declinata restauretur, vel quæ neutra dicitur, vindicari possit, sat copiosè medicina suggerit. Nam omnium corporum, affectuum, causarum, signorum, remediorumq; ineffabilium, quibus hominibus (vt paucis multa complectar)

ctar) valetudinem sustinemus atque acquirimus, notitiam adfert. Concludimus igitur vnà omnes medicinæ assectas, de rebus ijsdem iudicio sibi pares esse oportere & consentaneos. Quòd cum secus fieri videmus, cùm alias, tum in vrinæ iudicijs maximè, aut ipsi arti, aut ipsis artis cultoribus est error impingendus. Verùm etsi compendiosè id quidem, ars tamen nostris demonstrationibus ab omni vitio pura iudicanda est. Quas demonstrationes si quis longius productas velit, vniuersam artis traditionem retexendam arbitror, id quod huius non est instituti. Igitur qui hanc colunt artem, in vitio sunt. Cæterùm quod in vrinarum iudicijs omnes ab altero discrepent, nunc tandem incipit vulgus persentiscere, quosque olim magnis honoribus erat onerare solitus, haud longè abest, quin deinceps exercipia risu. Nam quorundam instinctu

emissa

emissa vetula, ad omne ferè (non dico vbinam id factum sit) vnius loci medicos, idem deferebat lotium: Deus bone quot, quamq; ridiculas variasq; sententias retulit, quas illi tragico philosophicoq; vultu, veluti sacerdos ille è tripode, pronunciarunt. Necdeer ant qui aureos annulos digitis versantes, plusquam Apollinem sese iactitabant. Inter cæteros vnus excellebat augurio, qui intrepidè vix lotio inspecto, vt tanto habeatur monstrosior, ægrotantem fœminam conijciebat, quod verbum expiscatus erat, mulierem fœmineumq; sexum insinuans, scilicet Ipsa, nostro idiomate, sej: dolum mulierculæ non olfaciens, pari grauitate addebat, morbum fuisse lentum, & duodecim annis protractum ortumq; à medicamine sumto, ab imperito Medico exhibito, lethaleq; malum esse, nisi tractetur prudentius. Quasi ipse omnium impostorum

peruersissimus, ex solo lotio, conscribendis remedijs oportunis, ipsum quem dicebat, alterum, superasset prudentia, qui in eodem erat stultorum, & consilio & loco, nihil ad curationem quàm putidum lotium adhibens. Mulierem iudicat, puerat: dies paucos multos extendit in annos: medicamen sumtum accusat, in quo nulla culpa extitit. O hominum ineptias. O industriam Hippocraticam. Prætereà repereris, qui vrinæ loco, mortem ex aceto prædixêre. Alij tum frigidam, tum ptisanam pro lotio iudicant. Anne satis vehemens hæc causa est ad obiurgandum Pamphilum? Atqui hæc inter ipsos, qui bullatis chirographis egregiè in republica triumphant. Quid pauæ nosæ mulierculæ, in prostibulo edoctæ vt scabiem illam Neapolitanam foueant, quas non pudet diuino muneri sordidas adiungere manus: quid denique ganeones? quid fures? quid aleatores bonis omnibus

nibus crapula aleisque emunctis? Anne horum omnium tandem tutissimus medicina portus est? Miror me hercule miror tam densos errores à magistratu non percipi, quos leuissimo tactu licet cuique assequi. Sed ad se nihil putant attinere negotium, quòd qui eius propugnatores publicè habiti sunt, non solùm non accusant, sed ipsis erroribus pariter applaudunt. Quid plura? His ex rebus vrinæ inspectio apparet erronea, nec in arte, sed eius cultoribus error inest. Qui quo pacto in rempublicam irrepsit, non videtur silendum. Vulgus semper principum in republica veluti simia, veterum laudabilem vrinæ intuitum considerans, qui prospero fiebat successu, quod coram examinatis ægris, essentiam morbi, ex ijs quæ apparebant, & ratione insecuti collegerint, vnde veluti vltronea prouenit curatio, credidit ilico talem curationis

cuentum, vrinis esse adscribendum. Nam rationis expers, cuius virtute veteres omnesq; dogmatici medicinam peragunt, quæ oculos cernit, solùm iudicat, nihil ratione adiutus. Qua de causa veteres in rebus euidentibus æmulatus, vrinas inscrutari cœpit. Ad quod accessit de vrinis, remedijsque pariter in lingua vernacula conscriptio. Hinc paulatim accreuit audacia, quòd quæ tentarunt, fecère impunè. Nam omnes licentia (vt inquit ille) deteriores fimus. Vnde tandem vsque adeò hominum ingenijs imbuta est hæresis, vt ægrè extirpari queat. Quare nescio, quàm frugi sint scriptores, qui medicinam in talem vultum mutare gestiunt, quo quisque vt quadam Thaide, citra vllum discrimen abutatur. Quùm tamen æquè omnibus in confesso sit, Medicinam Philosophiamq; naturalem magna necessitudine sorores esse arctissimè con-

coniunctas. At temulenta obstetrix, aut impurus ganeo, qua parte aut Medicinæ aut Philosophiæ ornati sunt? Quibus rationibus in discernendis affectibus medicamentisq; parandis obuersari dixeris? Atqui his via sunt & occasio, qui germanis calamis arcana medicinæ detegunt. Verùm venia danda esset errantibus, nisi pro eorum insipientia luceret respublica, quæ bona fide nihil non admittit. Nam vt errores breuiter perstringam, quos impudens euomit in rempublicam vrinæ inspectio, necem sæpe pro salute propinat. Nam quî aliter fieri possit, quùm ipsa medendi ratio semper veluti in scopum, in morbi intendit causas, differentias, ac id genus alia, quæ ex morbi dispositione, & loci affecti natura semper conflari debet? Ex quorum cognitione princeps oritur medendi indicatio. Sed huic soli indicationi non obtemperant medici,

quòd rerum gerendarum aduersus morborum malitiam, consensus quidam ab eo implorandus est, cuius medicus minister dicitur. Huius rei exempla in rebus exterioribus multa sunt. Etenim rex tametsi hostium iniuriam ferro bellóq; vindicandam non ignorat, priùs tamen, quàm ad arma confugit, suam potestatem præmeditatur, recensetq; exercitus, vt quantum agere per illa liceat, non ignoret, ne ex improuiso conflictu, vulnus accipiat lethalius. Ita prorsus in medicina facere conuenit. Indicatur enim à morbis ipsis, quid & quo pacto sanitatem ad suos limites reducat, sed quia cum hoste sat feroci negotium est, ipsa medicorum hera assentiri debet, suasq; vires vicissim eloqui, si fieri possit. At hera medicorum vires sunt ægrotantium, quæ à morbis indicationes remediorum moderantur. His adduntur ætas, locus in quo decumbit

bit æger, temperamentum, consuetudo, & id genus alia: quorum omnium gratia coguntur medici, ijs addere aut abstrahere, quæ in morbum agenda animo conceperant. Quod quùm ita se habet, manifesti errores vrinæ inspectionis existunt: quæ vt morbi diuinare essentiam non potest, ita vires, cæteraq; coindicantia ægerrimè augurio assequitur: quorum omnium maxima habenda est ratio, si ægris rectè consulendum putauimus. Sed dixerit fortè aliquis, non omnes ex vita demigrare, quibus ex vrinæ inspectione medicamina conglutinata sunt, ea de causa mitius esse ferendum. Nec mirum sanè, quod medicorum non parua est hoc in negotio astutia & cautio, qui cùm nocumentum timent, id præscribunt, quod si non prosit, non noceat tamen. Atqui quùm quod sæpenumerò fit, fortunæ salutem committunt, addunt verbum Si,

quo tandem malam ſuſpicionem decli-
nent. Qua ex re perſpicuum fit, quòd
plures ex morbis ſua natura, quàm ope-
ra medicorum ad bonam valetudinem re-
petunt, id quod fortuitò curari dicitur.
Hinc eſt quòd periculo non vacare dixe-
rim, quicquid præter virium nutum in
medicina tentatur. Idcirco medicorum
negligentia inexcuſabilis eſt, qui non ſo-
lum nictantibus oculis errores pertranſe-
unt, verùm etiam errabundæ multitudini
acquieſcunt. Verum id eſt, in ſuo cœtu
ſatis debacchantur in Empiricos, ſed ſem-
per intra parietes, ne foras erumpat ſer-
mo. Intereà ſeſe non reſpiciunt qui magis
in noxa ſunt, quàm Empiricorum vllus.
Etenim omnis durat ad vltionem ani-
maduerſionemq; malignitas. Atqui no-
ſtrum eſt, etſi non animaduertere in ma-
los, patefacere tamen peccata magiſtra-
tui, de quare poſteà. His itaque perſpe-
ctis,

ctis, quòd scilicet hæc vrinæ inspectio ex medicina fundamentum non sortitur, & qui hanc sequuntur errores, mirum in modum aggrauant rempublicam, omnino videtur in republica ne nominanda quidem esse, tantum abest vt diutius vsurpetur. Quod propediem fore confido, propterea quòd maior nunc sit proborum medicorum concordia, quàm ante annos multos, in qua omnes dirimendi errores potestas inest incredibilis.

RECTA MEDENDI RATIO ÆGRI PRÆSENTIAM DESIDERAT.

NIhil quicquam in ægris quenquam tentaturum arbitror, nisi id constet, gratia cuius agat, id quod agit, quùm

omnis actio ratione non stipata, temeraria sit, & frustranea existimanda. Porrò id quod in medendo tanquam scopum quærimus, est proxima constitutionum læsarum causa, quo accedit morbi essentia. Hæc inquam medendi methodus vtrinque comparatur, tum ex locis affectis, tum ex ipsa morborum natura. His causa quæ proximã lædentẽ causam intulit, iungenda est. Nam hanc nisi exemeris, aduersus morbum ne hilum quidem profeceris. In horum contemplationem venire is debet, cui sua curatio honorifica futura est. Atqui fortasse morbos diuinare ex lotio arduum non fuerit, in quo tamen multi laborant, ne dicam omnes. Sed an locorum affectorum coniectura sit absenti facilis, quærendum est. Quòd autem nulla sit corporis particula, quin à natura actioni vel per se præsit, vel cum alijs pariter inseruiat, fit vt

actionis

actionis læsio locum denotet dolentem. Actionum enim læsarum obiectarum oculis cuique communis est comprehensio. Quare à loty portatricibus earundem significatio medicis fieri potest. Sed actiones intus latentes tametsi fortasse lotium læsas esse reuelarit, aut significauerint nuncij nihil appeti, nihil intus retineri, nihilue excerni, læsarum actionum certa indicia, ipsos tamen primariè affectos lócos certò non describunt. Propterea quod vitium destructi appetitus, non à sola parte quæ ipsum sustinet, sed ab alijs non paucis, inuehatur. Quid si in dolore fuerint partes septo transuerso superiores, quarum affectuum sputo crebrius quàm vrinis purgationes fiunt? Cuiusmodi sunt pleuritis, peripneumonia, empyema, asthma, angina, in quibus nihil æque adnimaduersione dignum est, atque ipsum sputum, à quo in ipsis morbis admoniti,

moniti, remedia præsentia, aut eadem retinemus, aut ad alia accurrimus, vt nobis medicorum facilè princeps Hippocrates auctor est: Inquit enim, dum morbus siccus est, morbo potius, quàm naturæ incumbendum: contrà, humidiore existente morbo, ab ipso ad vires transgrediamur. Quod in hunc modum accipio. siccum morbum appellat, in quo nihil expectoratur sputurq́: vnde quis humidus sit, facilè colligi potest. Est itaque sico morbo tantisper inuigilandum, donec materia expectorationi sit accommoda, deinde æquabili alimenti mensura viribus feremus auxilium, vt materiam effectam fluidam robore excludere possint, ad quod opus ante coctionem materiæ, illis adeò non egebatur. Hinc quòd grauior pernicioſiorq́ à morbo quàm viribus imminebat noxa, maior erat cura habenda morbi, quàm virium. Quemadmodum

modum præparata ad expectorandum materia, viribus plus auxilij debetur, quàm morbo, quòd earum imbecillitas ad ejiciendum ſputum inepta ſuffocationis anxietatem ilicò attulerit. Quo pacto in anxijs his rebus abſens medicus ſeſe geret? Quis prætereà illi delineabit temperaturam ægrotantium: Quis vires totius familiæ heram, ad aſſem ponderauerit, à qua ne latum culmum deflectere fas eſt? Profecto hinc eſſe non dubito, quin tumultuariæ medicaminum conglomerationes originem traxerint. In qua qùi copioſiſsimus exiſtit, præcæteris florere creditur. Quid de his aliud exiſtimes, quàm quòd ſibi liberi ſint, non naturæ ſerui? Hi ſunt Hippocratis principis medicorum immemores, occaſionem præcipitem, experientiam periculoſam, difficileque iudicium appellantis. Et meritò quidem. Nam iudicium medicorum

ad

ad morborum essentiæ, causarum, differentiarum, locorum affectorum, virium ægrotantium, ætatum, temperaturarum, remediorumq́, denique omnium cognitionem protrahitur. Ex quibus omnibus ipsa oritur medendi Methodus. Atq; si veteribus, de ijs quæ in conspectu erant, iudicium visum est difficile, an rectè quis absens de absentibus facile illud arbitrabitur? At dixerit quis, humorum redundantium notam, veteribus Euphoriam vacuatorum extitisse, colorem, & nonnullis gustum. idq; Hippocrate teste. In turbationibus, inquit, alui, & vomitionibus quæ sponte naturæ fiunt, si qualia oportet purgentur, confert & facilè ferunt, sin minus, contrà accidit. Atq; hæc nota ab astantibus obseruata, medico absenti enarrari potest. Atqui his ego experientiam periculosam obijcio, etiam in rebus sat euidentibus. Quare ne nos,

quem-

quemadmodum Phryges, sapiamus serò, tota methodus animo præmeditanda est, donec id, quod quasi digito curationem monstret certissimè simus consecuti. Proinde inquit, & regionis, & temporis, ætatis & morborum habenda est ratio, pro quibus talia vacuari conueniat, nec ne. Morborum conditio in differentiam, essentiam, proprietates, propria accidentia, & quatuor tempora, principium, incrementum, statum, & declinationem distinguitur. Horum omnium habenda est ratio, pro quibus talia vacuari conueniat, nec ne. Hinc sudores Hippocrati in malignitatis suspitionem cadunt, qui quibusuis morborum temporibus siue calidi siue frigidi fluunt, quamuis frigidi deteriores calidis. Morborum præterea differentiarum vtilis est notitia, quæ medicum eorum, quæ circa ægros fieri expedit, reddit certiorem. Huius rei vi-

cissim

cißim teſtis eſt Hippocrates. Victus tenuis & exquiſitus, inquit, in morbis quidem longis ſemper, in acutis verò vbi non conuenit parùm tutus. Quo loco iudicium ratione differentiarum obſeruandum in diæta comprobat. Nam in longis morbis, inter principium, & vigorem, longum temporis interuallum intereſt: quare ne ægri inter vias inedia emaciati priùs, quàm vigor appropinquet, deficiant, ait victum tenuem & exquiſitum parùm tutum eſſe. Idem obſeruari iubet in acutis, vbi non conuenit: rurſus quandam morborum partitionem faciens. Nam prior erat morborum in longos & acutos diſtributio, vtrique debitam victus rationem attribuens. Poſteriùs verò acutorũ inter ſe fit diuiſio, quæ nõnullorũ acutorumcum morbis longis affinitatem demonſtrat. His laborantibus victu proſpiciendum pleniori, quàm ijs quorum

ſtatim

statim à principio, vel ad mortem, vel salutem, in propinquo vigor est, quorum natura longè à longorum morborum conditionibus distat, lento gradu ad vigorem incedentium. Ex acutis rursus sunt, qui medium extremorum occupant alij vtrisque extremorum vicini. Horum enim vigor in probata victus ratione, administrationeq; remediorum haud segniter notandus, constãs rerum gerendarum commoderator. Qui quibus modis modis impetretur, nequaquam suis Hippocrates traditionibus obliuiscitur, iudicium medicorum per se difficile, supra modum illustrans. Morbi ipsi, inquit, & anni tempora, & periodorum inter se proportionis obseruatio, siue ea quotidiè, siue alternis diebus, siue maiore interuallo fiant, paroxysmos & statum morborum indicabunt. His annectit, quæ posteà apparent, vt sputum in pleu-

N ritide.

ritide. A morbis quidem ad vigoris præ-
notitiam inuaberis, ipsorum differentiam
consequutus. Diuturnorum enim ad vi-
gorem progressus fit pedetentim. Cuius-
modi sunt tabes, hydrops, melancholia, &
cæteræ affectiones diuturnæ. Atqui vt
rectè morborum diuturnorum naturam
comparemus, videntur memoria tenendæ
causæ, ob quas morbus euadit prolixior.
Est autem morborum diuturnitatis cau-
sa non vniusmodi, sed multifaria. Nam
alius longus efficitur ratione materiæ
proximè affectum continentis, quia lenta
est, crassa & viscida: cuiusmodi pituita
est, & succus melancholicus, quorum
morbi eò diuturniores existunt, quòd suc-
ci difficiliores tardioresq; motu sint. Ha-
bet etiam vim in his aliquam causa vete-
ribus coadiutrix appellata, qualis est cu-
tis meatuum obstructio. Nec in horum
generatione otiosa est causa efficiens. Vt
aër frigidus, ætas, aëris constitutio. Va-
let

let præterea situs partis alicuius, ad longos morbos procreandos, vt lienis positus, ob longinquitatem ad recipienda remedia incommodus. Est insuper locus materiam continens subinde in causa, vt si strictior arctiorq; existat, quàm materiæ contentæ conuenit, vt in hydrope materia per se satis ad fluxum apta, loci angustia detinetur. Ad hæc naturalis facultas quando materiam nec alterare, nec coquere, nec expellere præ imbecillitate potest, sed potius auget, vt in senio confectis, longoq; morbo debilitatis. Denique propter partem ipsam in qua delitescit morbus: vt sunt partes solidæ, quæ mordicus effectum tenent: quo nomine hectica febris longa redditur, quæ sola alteratione curari debet. Quia vbi nulla superest materia, non valet purgationis auxilium. Has inquam si absens causas & dictam morborum differentiam, aut

ex putido lotio, aut ex verbis narrantium collegerit, liberum profectò in morborum principijs, nutriendi spatium cognoscet. Sed tempus vigoris morborum, non ex differentijs omnino, causisque morborum, sed ex accessionibus & periodorum proportionis inter se obseruationibus perdiscimus. Nam vt dierum in continuis, sic in intermittentibus, interpolatisq; periodorum numerus confert. Siquidem in genere acutorum, natura & conditio, ad summum tribus septenarijs remittitur. Quemadmodum ex interpolatis quidam tot periodis. Ex quibus omnibus in vniuersum morborum acutorum terminos cernimus, ne temporis ignari, quo morbus finiri natura debet, vlteriùs expectationem vigoris differamus, quàm ipse sese morbus extensurus est. Quare positis certis terminis, intra quos morbus ad finem properat, in his medicus, tanquam in

in palæstra, se totum dedere debet inueniendis illis notis, quibus certò statum morbi futurum sciat. Est autem præcipua nota, quæ naturæ in morbum victoriam nunciat, ipsa concoctio: veluti morbum victorem declarat, prostratis viribus summa cruditas. Hæc verò signa suos vicissim dies sortita sunt, quibus vel ad mortẽ vel ad salutẽ sunt apparere solita. Id quod Hipp. aphoristicos posteritati reliquit. Index, inquit, septimi, quartus: sequẽtis septimanæ octauus initiũ. Spectãdus quoque est vndecimus. & cæt. Certè dum hæc in mentem veniunt, vix dicam, quantum mihi animus conciderit, nec iniuria. Nam huius tempestatis multorum medicorum abusus artis asperos considerans, nihil aut parum admodum quod cum vera medicina ritè comparari possit, reperio. Qui neq; morborum differentias, neq; tempora vlla, neq; ægrotantium vires, tem-

temperaturamue, neq; an in solidis partibus, an in humoribus malum sit respicientes, ex fœdito mutoq; lotio, vnica purgatione, aut tabellato (si dijs placet) totam horæ vnius spatio pyramidem absoluunt. Quid dicam amplius excordes esse & atheos oportet, qui citra conscientiæ stimulum tam illotis sordidisq; manibus diuinum munus pertractant. O tempus studiumq; Hippocratis deploratione dignissimum. Quis nunc prognostica, quis prorrheticas prænotiones, quis animaduersiones coacas secum ad ægros circumfert? Quorsum de diebus decretorijs libri tres, ac totidem de crisibus Galeni spectant? Quis est qui hisce temporibus ex dictis libris salutem ægris, sibiq; gloriam pariat? Anne vno calopodio omnes calceamus? Nam quid aliud fieri fatebimur, quum de omnibus lotijs in morem coccygos eadem cantilena canitur, atq; ex vri-

nario

nario præsagio medicinam facimus? At si id non facimus, quæ erit scribendi regula? Anne in aërem scribimus? Quùm maxima medicorum pars lotium in iudicium adhibet? Anne satius æquiusq; foret nos ad naturæ cuiusq; disciplinam doctrinamq; accommodarier? Siquidem minister naturæ medicus, haud vberius suum exequi officium potest, in agendis educendisq; è corpore rebus, quàm naturæ solertiam & vestigium secutus. Quod enim ipsa per se natura, suaq; prouidentia nititur, si vires ipsi adfuerint æquales, prorsus inculpatum est, & in commodum ægri cædit. Verùm quia nimium vel fracta viribus, vel magis priuata robore, quàm par est, sæpè vel nihil potest moliri, vel ab incepto cogitur desistere. Hinc est quòd medici manus auxiliares ferre debent, geminamq; adminiculi viam intelligimus. Etenim si in totum caloris

vires cessant, vt nequaquam materiam queat præparare: quòd fit aut imbecillitatis ipsius, aut humorum malignorum gratia, in quorum concoctione vires prius obtunduntur, quam potiantur victoria. Hoc vbi fit, ibi est à principio remediorum implorandum auxilium. Medicorumq; in hoc potissimum cura ponitur, vt calorem in tantum refocillent, quantum humorum coctio caloris desiderare videbitur, tandemq; per expeditos locos excernantur. Altera autem est, vbi viribus destituta natura, inceptumq; relinquere, aut à recto scopo ob roboris fractionem aberrare coacta est. Porrò ab incepto desistere existimabitur, si incipientes fluere humores, omnino omnes, in quibus vitium fuerit, non effundat, sed magnas finit permanere reliquias. Ibi tunc medico consilio opus est, vt quicquid est reliquum abstergat. A scopo verò aberrare

rare creditur, si materia siue humores in viam locumue minimè conducibilem dispergantur. In hoc erroris genere medicorum munus est, peccantem humorum eruptionem vel abscessum, si nobilem aliquam partem inuaserint, in locum magis oportunum tum reuulsione, tùm deriuatione castigare. Sin particulæ ignobiliori idem contigerit, erit maturata materia ex parte extrahenda. Quam nostram sententiam Hippoc. his Aphor. approbat: Quæ educere oportet, quò maximè vergere videbuntur, ducito, locis ac vijs vtiliter eò ferentibus. Quæ decernuntur, decretaue sunt iustè. &c. Quæ matura coctaq; sunt. & cæt. De his vt absens medicus commodè possit ægris prouidere, nulla ratione colligo, quum etsi in conspectu ægri fuerint, de ijsdem ipsis rebus iudicium sit difficilimum præcipuè quùm hisce temporibus medicorum priùs

non audiatur consilium, quàm salus ægri propè desperata sit. Atque tunc temporès sæuissima duntaxàt ab astãtibus notãtur symptomata, cuiusmodi plerumq; aut longitudinem aut magnitudinem vehementiamq; subsequuntur morborum. Quibus frustrà conatur subuenire medicus, nisi horum fontem cautè intercipiat, eorumq; generationi restiterit. Atqui quùm de coquendis humoribus verba fiunt, hanc coctionem minimè, neque ad medicum, neque ad medicamenta, sed ad calorem nostrum natiuum refero commune corporis instrumentum, qui coctor est, excretor, distributor, assimilator, & nutritor. Nos autem coctioni inuigilantes, calorem tantùm ad eum caliditatis gradum producimus, in quo tutò cum humoribus conflictetur noxijs, eosq; pessundet & superet. Sed humorum in primarum secundarumq; qualitatum examinatione subsistit

sistit consideratio, cui accedit eorundem copia, & copiæ causa. At secundarum qualitatum noxa est crassities, viscositas.. & cæt. Quare si contingat humorem frigidum esse & viscosum, non perinde fuerit, quibus caloriferis remedijs opem tulerimus calori. Nam præter caloriferorum exhibitionem, ea etiam propinanda sunt, quorum opera incidatur viscositas: quæ mediocria in primis esse oportuit, ne viscosus humor, sua natura ad lapideam substantiam procliuis, valde excalfactus in lapidis morem indurescat. Est igitur caloris humorisq; collatione inter se peracta calor ad certos quosdam ordines, qui coctioni sine nocumento competunt, planè moderandus. Quo loco commemorabile est peccatum eorum, qui absentes absentium curam suscipiunt, citraq; vllam notitiam eius, quod in medendo primum est & præcipuum, e vestigio arripi-

arripientes calamum totas pagellas egregia largitate medicamentis complent, inter quæ cuiusuis generis medicamenta conspexeris: etiam sine discrimine tenuium partium, cum ys quæ crassarum sunt ridiculè conspersa. Atque suas scriptiones in scrupulos & grana dissecant, quasi spectatissimè in certos ordines digerant, qui nihil minus quàm ordines norunt. Nam etsi omnino in colligendis gradibus exactos esse non liceat, in gradum tamen proximum aut semigradum, hoc est maximè vicinum facilè peruenerimus. Sed ægri præsentia opus est. Siquidem interæ manus cutis secunda valetudine præditorum (Galeno teste) de caloris gradu iudicaturis, veluti Thesei filum, futura est. Quod quùm fit collatione bene valentis, cum eo qui æger decumbit, iudex medicus procul ab ægris esse non potest. Manifesti sunt, in quorum ore, & (vt vocant)

vocant) receptis, semper veterum exi-
stunt antidota, quorum tum primarum,
tum secundarum qualitatum ordines ve-
trùm perspectos habeant, ipsi viderint.
Hæc quùm ita se habeant, periculum
constare arbitror, in quo versantur illi
qui absentium manus admittunt. Etenim
tametsi absentium opera adiutari vide-
antur, eripianturq; malis, quibus crucia-
ti sunt, sæpe vel in eundem morbum reci-
dunt, vitamq; cum morte commutant: vel
in mille vitiorum genera præcipitati,
plusquam martyres reliquam vitam de-
gunt. His renibus relinquitur calcu-
lus: hicperpetui catharri hæres efficitur:
alijs ventriculo intemperies superest, quæ
incredibilium paulatim affectuum mater
est. Vni hepar violatur: alij sensim
exulcerantur pulmones: Alijs visus fit
turbulentus. Quòd si singula prosequar,
metus esset, ne in longum productus ser-
mo

mo benevolum lectorem tædio enecaret. Proinde finem dicendi facturus, ad rectam medendi rationem, ægri præsentiam desiderari arbitror.

MEDICVS VT SVO SATISFACIAT OFFICIO, TENETVR ADVLTEROS MEDICINÆ CVLTORES RATIONE REPREHENDERE, ACCVSARE, VINCERE CORAM SENATV.

OMnis officij susceptio reipub. intuetur commodum, vt quàm maximè suo quisque officio in ipsam commoditates vtilitatesq; conferat. Etenim honesti pars est, & viri prudentis munus, si in eos beneficium conferamus, quorum auxilio studioq; commoda nobis vita & angustijs libera contingit. Id quod fit omni-

omnium ciuium eodem muro circumcinctorum atque reliquorum in sese mutuò collatione reciproca. Quæ veluti vinculum est, quo hominum ciuilis congregatio diu incolumis vnanimisq; seruatur. Igitur mutuo ciuium in sese studio demto è republica: aut rerum bonarum simulatione ciuibus sese excipientibus, certè haud leuem noxam accipit respublica. Quare si huius prosperitas sit & vtilitas, quamobrem quis ministerium officiumq; expetat, quoquouersùm oculi conijciendi sunt, quantùm quidem officij magnitudo patitur, ne quicquam in repub. redundet, quo eius euertatur tranquillitas. Proindè quùm cæteros in republica ciues, ad hostes propulsandos vigilantissimos esse oportet, tum maximè medicos tales esse decet, corporum sanitatum custodes. Dilabi enim respublica debet labentibus membris, quòd respubl. corpus

sit

sit multis connexum membris, quorum laborante aliquo, eius actio quiescit, quæ plurimùm antè est prodesse solita. Hinc aut carere respub. cogitur, aut duplo carius comparandum, quod prius tolerabili pretio ad vitam conflari potuit. Ita premitur respub!ica, omni libertate superfluitateq; dignissima. Igitur quemadmodum illi haud exiguo vitio vertitur, qui regis voluntate imperioq; reipub. fa-ctus patrocinator, muros, bonasq; leges sinit collabi ciuitatis, ita medicorum dignitas violatur, diuino muneri præfe-ctorum, si medicinæ cultores sese, non autem propugnatores pro viribus pariter ostenderint. Nam medicinæ latiùs patet officium, quàm sola eius distributio id absoluisse credatur. Siquidem animo conniti debemus, vt quæ vitæ reputantur fundamenta, ad eum à singulis, a quo tribuuntur, semper referantur. Atqui hoc

hoc rectè fieri nequit, nisi medicina cum-
ctis exuta erroribus, quibus potestas bo-
naquê eius in nos clementia magnopere
denigrari solet. Quocirca quùm propter
vmbram opacam, quam in medicina ob-
seruant plurimi, ipsam sibi artem propo-
nunt, non vt artifices sed imperiti rerum
propè omnium, haud alia de causâ, quàm
quòd vitam suauem, cum argenti copia
facilè consequantur: quorum versutiâ
ignauiâq; æquè medicinæ splendor, atque
boni alicuius viri fama obtrectationibus
obnebulatur maleuolorum, atque vt æsta-
te media nubecularum densitate solis ob-
ruitur claritas. Igitur quemadmodum
vi caloris soiis, discussis nubibus, ipse in
terram vultum reducit suum, ita veros
medicinæ ministros ruptis impostorum
procellis, inclytam medicinam, donum
Dei sanctissimum, ab omni iniuria vin-
dicare oportet, ne diuina inprimis in om-

nes homines misericordia, suis meritis humana fraude excidat, deinde vt detestabilis glorioſorum à reipubli. eximatur fallacia. Huius miſericoidiæ ac reipublicæ Deus, quantum ad medicinæ cultum attinet, medicos præcones defenſoresq; constituit. Estq; more euangelico ratio reddenda villicationis nobis à diuina largitate elocatæ. Dominus etenim peregrè profecturus, ſeruorum alteri vnicum duntaxàt pondo, alteri plura ad lucri augmentum erogat. Verùm reuerſus, eum, qui plus lucri fecit, maioribus negotijs præſtituit. Is verò qui heri ſui commodum curauit negligentiùs, præcipitatus ad ignominiam, è familia eiectus est. Est autem medicina ex eorum genere, quæ Deo ob ipſius in nos miſericordiam ſingularem, gloriam conciliant ingentem. Cui igitur medicina commiſſa est, diuinæ dignitatis illi vi-

ciſſim

cissim committitur cura, dandáq; opera est, ne eius incuria honos Deo & gloria minuatur. Est enim medicus, quùm sine cultu medicina non sit, diuinæ in omnes homines clementiæ intercessor & distributor. Quanquam igitur fortasse ne latum quidem culmum à recta medicinæ distributione recesserit, tamen si in suo conspectu ignaris peruersè administrari ipsam viderit, neque reprehenderit tamen, ob omni sorde immunditieq; expurgatus habcri nequit, quòd non minor in redimenda ab erroribus republi. quàm in recto syncerog; medicinæ ministerio, esse cura possit. Nam & Dei & reipub. magnopere interest, quomodo remedia ad salutem cuiusq; tributa, quis elargiatur. Siquidem quæ ad Dei gloriam & reipub. tranquillitatem spectant, si quis inuertat, haud leuia peccata committit. Quæ à quo sunt corrigenda potius,

quàm ab eo- qui ad hoc ipsum à Deo constitutus est? Quùm itaq; medicus hic testis est diuinæ misericordiæ (quæ paritim inter cætera eiusdem dona è medicinæ cultu perdiscitur) inprimis cum omni animi anxietate in suo versabitur officio, vt tam in agnoscendis affectibus, quàm remedijs exhibendis, omnem culpam declinet. Deinde apicularum exemplo hostes ab alueario propulsantium, fauo dulcissimo insidiantes, diuini in nos beneficij obscuratores, a repub. bene honesteq; constitutta longissimè sunt amouendi. Quales hæc nostra tempestas (proh dolor) multos libertate donat, quòd sua quemquè plus trahat voluptas et lucrum, quàm eos diuina dignitas vtilitasq; reipub. commouet. Verùm in quos collatum est diuinitùs beneficium, illis, si qua sit sumenda, non conceditur vltio. Quamobrem fortè quis, hoc operculo cooperire se volet, &

peccatis

peccatis medicina abutentium indulgere, quod absurditate non vacat. Quandoquidem singulis nec medicina, nec iudicium competit, propterea quòd vnico ministerio reipubli. incommoda fulciri nequeant. Hinc erat necesse cum reipub. incommodis, administrationum varietates rectè ponderari, ne vllum in republi. occurrat malum, cui mederi nemo possit. Qua de causa magistratus in repub. regnat veluti caput commoda incommodaq; pariter reipub. prudenter recensens, illa vt tueatur, hæc verò vt studio diligentiaq; rescindantur. Verùm cùm non omni disciplinarum genere magistratus politus sit (non enim omnia possumus omnes) erit censura, quæ auctoritatem merebitur, instituenda, cum illis, qui ad errores extirpandos, quos in repub. cernimus, industria pollent & solertia. Hinc circumspicienda est respub. ne ignoretur si fortè

hostis

hostis quispiam in ipsam irrepserit. Quòd si irrepserit, à te vindictam reijciens, vt quæ ad magistratum attinet, iudices certos facies, paratumq́ te ostendes, sed nec lucri, nec odij, nec ambitionis gratia, verùm amore reipub. diuinæq́ dignitatis causa, ad faciendum periculum, vtrùm re præstare poßit, quod iactitabat verbis. Atqui id quo pacto fiat est dispiciendum. Præter vulgarem mechanicorũ consuetudinẽ nobis ad hanc rẽ viã promptissimam demonstrantiũ, nullũq ad sui exercitij genus admittentiũ, qui probam) vt aiunt) non fecerit: plurimum valet in medicina ratio, vt quæ tota rationi innititur. Nam qui Philosophus non est, naturæ rerum scrutator subtilis, nullam medicinæ partem iure ad se recipere debet. Quare proposito morbo, cuius se magistrum proclamauerat, de morbi essentia arripatur disputatio, quam si diuinarit

narit rationi incumbens, reliqua sunt perstringenda, quæ recta desiderat medendi ratio. Hoc quis faciet expeditius medico in rerum natura versatißimo, qui vt digitos, omnes omnino affectus, singulasq; corporis partes perspectas habet? Atque perfecta hæc rerum cognitio, ad quam à Deo coaptatus est, eum cogit, qui est adeptus, vt studiosus sit circumspector, notatorq; earum rerum, quæ reipubl. perniciosæ sunt. Quis enim vitiorum reprehensioni est propinquior, quàm qui exercitatione adiutus, ratione poßit superare: Igitur, vt ad medici officium remediorum attinet distributio, ita etiam medicinæ defensio, errorñq; castigatio.

MAGISTRATVS DEBET IN EOS ANIMADVERTERE, QVI SPECIE RECTI, ET TITVLO BONI VIRI, REIPVB. NOXII SVNT.

QVemadmodum in coniugio ad alterum, libertatis, voluntatis, studijq; mutua est redditio, mutuaq; viri est & coniugis ad rem collatio familiarem, atq; ad alterius obitum perpetua communio: ita magistratus caput reipub. post concordem vnanimemq; delectum, omnes animi occupationes, omne studium, omnes denique vires ad ipsius commodum applicabit, minorisq; faciet proprium, quàm reipublicæ dispendium. In corporibus humanis si qua contristetur particula, præcipua auxilij spes in solo capite ponitur, in quo ratio materq; consiliorum habitat.

In

In repub. verò in magnis rebus, vtilitatem concernentibus communem, bene consulendi, iniuriam vindicandi, hostes propulsandi occasio & potestas concreditur magistratui. Qua in re quies consistit in republica non exigua. Nam quis esse possit discordiarum finis, nisi illi in republica extiterint, quibus tanquam principibus omnes lites dirimendas relinquamus? Proinde quùm viri boni, animi constantia clari, idonei ad magistratum gerendum, communi suffragio iudicati, iuramento curas reipublicæ ad se recipiunt, hi, nisi fidem ipsi datam contaminari velunt, id quod est magnis præclarisq; viris summopere euitandum omnem à repub. noxam toto roboris impetu, maturo consilio boniſque propulsabunt legibus. Quod autem circumforanei illi, & quicunq; medicinæ titulo, artem honestam, piumq; Dei beneficium de honestant, lege

sint plectendi, non constabit magnis laboribus commonstratio. Habet enim iustitia imperium in illos, qui publicè alteri vulnus infligunt, iniuria lacessunt, bonaq; diripiunt, & homicidia committunt Quorum nonnulli & si vnicum duntaxàt perpetrarunt flagitium, propeq; existunt insontes, his tamen plerumq; non parcit iudex, quod peccatum nequeat occultari, quodq; facinus manifestum ipsam iustitiam proritet. Atqui meo quidem iudicio grauior inexcusabiliorq; eorum culpa est, qui in republica clanculum, citra vllam famæ dignitatisq; labem, cum grauissimo ciuium discrimine oberrant. Estq; gemina, quæ hæc mihi in animum inducit ratio, siquidem illi dicta peccata committunt, animorum plerunq; perturbationibus commoti, quibus cum brutis in eandem naturam redeunt, irrationales sui suorumq; immemores. Trahunt enim

animi

animi turbationes hominem extra rationis castrum, atque sui dissimilimos, quoscunq; inuaserint, efficiunt. Attamen quòd reipub. turbatores existimati sunt, legumq; transgressores bonarum, ægrè veniam obtinent. At in his medicinæ infamatoribus, nullæ tales animi insunt affectiones, quibus ad infinita mendacia, occultam fraudem, ac reipub. adiguntur perniciem. Quin solæ existunt immoderatæ prauæq; cupiditates, mera lasciuia, effrænis petulantia, spes vitæ commodioris, otium, crapulæ, alea, quibus se ad incognitam artem rapi sinunt. Videtur enim illis ingentes diuitias, magnificum in repub. nomen, vitamq; delicatam medicina polliceri. At quas illi diuitias reputant, ego diuitiarum loco non duco. Nam incredibili argenti copia constat eruditio priùs, quàm vlla contingat renumeratio. Necesse enim est, à paruo,

ad

ad annos ætatis triginta, semper inter literatos versari, philosophos audire, naturas rerum scrutari, in regionibus ambulare alienis, si cui rectè medicatio succedet. Hæc sunt, quæ plerosq; titillant, & medicinæ vsum persuadent. Qua in re cernere licet intemperatas concupiscentias eorum, qui ob dictas res ad medicinæ cultum se inuitant. Quid enim immoderatius, quàm quòd quis spe diuitiarum, & potiundi otij gratia, aliquam sibi exercitationem proponat, tametsi præsciuerit se non solùm inutilem forè reipub. sed etiam pestiferum? An non omnis exercitatio eò spectat, vt respublica nostra opera clementiùs veriusq; viuat? At quid dicam de lasciuia? Nonne Buscidu-
cis quidam crapula aleaq; emunctus, adeò vt se ab hospitio diffideret eximendum, cretam in puluerem redactam plateatim pro arsenico proscripsit, ac vendidit?

Atque

Atque sub vesperum reuersus domum, dalerum ei, qui hanc mihi bonam retulit indolem, exhibuit. Quid alij alia, hisq; comminiscuntur maiora, dies ad narrandum non suffecerit. An his vti illis animi molesta sit turbatio? cuius gratia illi ob animi irritati impetum, a minis, vindicta, homicido, etiam in conspectu judicis non abstinent? Hi verò in occulto, quo magis tyranni sunt, eò fama augescunt splendidiori, magistriq; haud secus ac busones turgescunt titulo. Atqui illis non parcitur, his verò indulgetur. O iniquam justitiam. Cæterùm judicem latet dolus & iniquitas, harum rerum insscium. Qui quòd taceantur, in causa sunt ipsi medicj, ad quorum officium non solùm medicinæ religiosa oblatio, sed ab omni spurcitia etiam patrocinatio, spectat. Quod illi præstant, qui cum medicinæ venerando cultu, examen conjun-

gunt

gunt adulterinorum, qui quouis ſtudio (modo odij ſuſpicio abſit) à repub. ſunt faciendi exules. Siquidem præterquàm quòd plurimis malis rempu. ſunt onerare ſoliti, ita ſe prætextu medicorum protegunt, atque boni ſeſe viri circumcingunt vmbra, vt, quamuis tyranni ſint, reipub. peſtilentiſſimi. omnem facilè notam ſuſpicionis ſuperent. Quibus an quid ſit in repub. abominabilius planè dubito. Quid enim Dordracenſis illa familia turpiſſimo latrocinio diu multumq; colluctans? An acerbius in repub. flagitium nominari poſſit? At tamen ſi eos ſpectes, qui latrocinio perennt, illis perinde eſt, extrà ne an intra muros perierint, diſpendium vitæ paſſi. Porrò magiſtratus latrocinij nomen, quod in oppido, ciuitate libera, quàm quòd in itinere publico, aut locis vmbroſis perpetratum eſt, interpretatur iniquius. Tum ipſe locus & honeſtatis

ſimulatio,

simulatio, interpretationem meritò reddunt grauiorem. Nam hospes hospitium bonæ fidei possidens intra muros, vbi maximè bonorum viget defensio, cui omnia bona vitamq; concredimus, js si latro sit, certè pœnam meretur atrociorem, quàm qui in nemoribus in perniciem prætereuntium excubant. Id quod iudices Dordracenses in plectenda vniuersa familia egregiè monstrarunt, ita vt horum supplicia futura sint reliquis ciuibus imago vitæ prudentioris. Similis ratio est vnguentariorum, quiq; horum in medicinæ abusu similes sunt. Qui præ se specimen ferentes medicorum, in liberrimis ciuitatibus, homines aut iugulant, aut semiuiuos deserentes asperrimis cruciatibus exponant. O mores, heu flagitia. Vnguentum conficiunt, aut aliquod olei genus somniant, quibus vim attribuũt, omnibus corporis affectibus occurrendi. Quorum

figmen-

figmentum ita verum est, vt illud verissimum, quòd omnes vno calopodio calcearì possunt. Quid enim Hippocrates medicorum facilè princeps, de ptisana oxymeliteq; sermonem conferens, nonne ptisanam cæteris remedijs longè præponit? Atqui si non sat opportunus eius vsus est, ait hoc medicamine æquè necari homines, atque quouis veneno crudelissimo. Vnde euidens res est, quantoqere rectis medicamentorum limitatianibus opus sit. Quandoquidem idem morbi genus, diuersa in eodem corpore medicamenta postulat, quòd morborum varia sint tempora: temporibusq; inseruiendum quùm sit, nunc abstrahenda, nunc addenda, aliàs commutanda veniunt omnia. Atqui boni hi viri ita se comparant, quasi morborum tempora, ægrotantium corpora, anni partes, aëris dispositiones, nihil inter se pugnent & differant. Qua re incultissimum in-

genium

genium produnt, & inertiam quasi digito exprimunt. Atque hi medica dignitate adumbrati, a qua sanitatis restitutio petitur, innumeros homines interimunt. Hac dignitatis specie seducitur respub. magistratus tranquilla vigilys, quòd citra discrimen, medicorum claritatem vsurpet, ac medicum à medico nihil discrepare putet, titulum duntaxàt, non eruditionem in iudicium adhibens. Tanta est hodie in iudicando simplicitas, tantaq; in intelligendo rusticitas. Horum iudices memores estote. Nam quemadmodum reliquum corpus capiti omnem solicitudinem curamq; committit, ita etiam vestri conciues in vestra omnium prouidentia auctoritateq; cuiusuis libertatis expectationem collocant. Nam animo in hoc constantissimo sunt, si quid rempu. inuaserit aduersum, vos id ilicò è medio esse sublaturos. Quòd si secùs esset,

sibiq; illam potestatem vendicarent, noctesq; dieq; agerent excubias, ne ex improuiso hostes in libertatem reipub. irruant. Verùm quantopere vestræ confidant diligentiæ, hoc solùm sat euidens argumentum est, quòd quæcumq; virga interdicta sunt, vno illa vix ausint attingere digito. Inquiunt enim malum esse, quia à magistratu vetitum. Ecce confidentia. Quare iudices oculos in miserrimum gregem conjcite, atque in libertatem tam illustri reipub. dignam restituite. Quo loco interrogandi estis iudices, an laruatus quisspiam è legum maiestate tutus elabetur, propterea quòd fucata facies alterius personam exprimat, si violentas manus alicui iniecerit? Quid dicitis iudices? an fictilis facies illum à supplicio est redditura liberum? Quid falsi æmulatores monetæ regiæ? quæ est in illos lex lata? quas sententias videmus vbiq;

terrarum

terrarum aduersus illos pronunciari? Nonne iudices inter se consilia conferunt, quam diris supplicijs regiam libertatem maiestatemq; defendant? At qui medicinam à ratione disiungunt, philosophiæ rerumq; naturalium impertissimi, cùm regibus, tum inimici reipub. infestissimi, diuinam in omnes homines libertatem prophanant. Nam quæ apud nos supernè sunt salutifera remedia, ijs ipsi ad perniciem eorum, quibuscunque obtruserint, ignorantiæ causa abutuntur. Nam magna est, in exhibendis medicamentis cautio. Quare cùm regis causa iudices in adulteros monetarum fabros manus conferunt, qui tantò diuina maiestate, quantò creatore creatura inferior est, tantò me herculè animaduersiones erunt in diuinæ gratiæ stupratores, ardentiores. Nec prohibet quorundam dicterium: cuique libera esse debere diuulgan-

tium, quæ à Deo cuique communicata sunt. Quandoquidem gladios regum consensu cuique gestare liberum est, stringentibus verò, vim inferendi causa, haud leuis imminet castigatio. Proinde ad magistratum, sumendum de illis supplicium, spectare arbitror, qui boni viri titulo, & specie recti reipub. noxij sunt.

MEDICORVM VNIVS REIPVB. CONCORDIA ET VNANIMI CONSENSV OPVS EST.

MERitò herculè multi, cur medicinæ laus, hac nostra ætate præ temporibus veterum, longè sit humilior, mirari desinunt, cùm discordes ipsorum animos, summamq; inter se dissensionem pro causa ducant. Quorum certè altercationes magnæ sunt nedum odiosæ, vbi vlla

Vlla consultatio instituitur, nemo alteri cedendum putat, sed vult quisque, aut Apollo, aut Apollinis videri filius. Atq; si ad eandem metam vnanimes calculum adiecerint coràm, id soli cum ægris, aut ægrorum custodibus, non citra absentium contemtum, impudenter reuocant, cæterorum sententias aspernantes, vt se solos sapere hoc pacto significent: quod insanire potius est quàm sapere. Quo loco seniorum quorundam leuitas videtur commemorabilis, qui odio latente sunt in obtrectationibus iuniorum frequentes, à quibus eorum iudicio, pro salute mera mors expectanda est. Sed harum obtrectationum dissensionumq; scrutemur causas. Equidem auaritiam ambitionemq; principes causas existimo, illorum animos ad hanc petulantiam stimulantes. Siquidem auaritia semper inuidia comitata et odio, veluti sorores coniugatæ sunt. Corroditur

enim auaris cor, aliorum prosperitate & fortuna secunda, lætaturq; aduersa. Hæc animi improbitas, auiditasq; immoderata numorum, vt alijs minùs benè sit, vtitur inuidia & obtrectationibus, instrumentis eorum libidini inseruientibus. Quandoquidem vnam animorum intemperantiam sequuntur plures, eæq; potissimùm, quæ alteri subsidio esse possunt. Ambitio vicissim maledicentiam malevolentiamq; possidet, quibus gloria alios & honore spoliare nituntur, in quibus illa domicilium obtinuit. Hæc animi vitia nunquàm in grauibus viris ministerioq; reipub. dignis notata sunt. Atq; qui his locum concedunt, sunt quamuis mulierre effœminatiores, indigniq; qui in repub. graues constantesq; nominentur. Ab his prauis moribus priùs quisq; expurgaudus, quam medicorum concors futura est congregatio, quæ cum ob alias causas,

tùm

tum maximè illius gratia requiritur, qui ad medicam dignitatem medicos eligit. Nam ad aliquod officium ministeriumq; electi magnificum, in eo ipso, ad quod constituti sunt, vt electori plus, quam ipsi sibi placeant, est modis omnibus danda opera. Quippe quum non solum nihil de electore anteà sumus meriti, verum etiam grauissimè offendimus, magna foret inhumanitatis nota, si pro immeritis beneficijs, non ad illius voluntatem nostra aptetur vita. Atqui bene honesteq; institutæ familiæ semper comes est concordia, vt pijs duntaxàt animis adamata, ita feris & syluestribus exosa. Quare vix æquè quoquam animus electoris demulcetur, atque concordia ministrorum: quando quisq; moribus consimilibus quàm maximè delectetur. Hac insuper concordia permagni fit electo, neque laus ei conciliatur exigua, quòd bonis honestisq;

moribus suam excolat familiam, quòdque ministerio idoneos suis rebus præfecerit. Nam ipsius dignitatis permagni interest, quo pacto se in seruitio ministri regant. Hinc qui frugi sunt famuli, omnibus in rebus, se suamq; vitam ad domini sui delectationem temperant, illa quibus malè afficiatur, fugientes: quòd verò voluptate illi præscierint, ad faciundum paratißimi. Atque hæc inter se homines. An ne æquius foret, hominem esse studiosum, vt se totum ad domini Dei sui placitum referat? Quanquam hominibus homines in æquitate parere non iniquum duxerim. At quæ potest esse familia pulcris amœnisq; & legibus & moribus extructior, quàm quæ à Deo verbo oris ipsius iamdudum fundata est & præcepta? Quibus fulcitur columnis magis, quàm pace & concordia? An serui illius esse, & officio fungi splendidißimo, cum contemtu legum

gum familiæ, & voluntatis ipsius volumus? Quod quantumq; putas vituperium domini, te suo beneficio seruum agnoscentis, quë discordia et odio inter tuos æquales turpiter dedecoras? Profectò non iniuria hic odium commemorauerim, quo à fratribus germanis in cisternam coniectus est Ioseph, & quo fratris sui odio Abelis sanguis profusus est. Quod præcipuè diuinæ in pios bonitatis gratia euenisse arbitror, quæ eorum voluntate semper comperta est multò & amplior, & largior. Eodem planè modo se medicorum odium habet, quorum animo exosa est domini liberalitas, in alios atq; alios sua dona conferentis. Quare qui ita odêre concultores, domino videntur velle reluctari, alioqui in omnes suos liberalissimo. Odij prætereà fugam concordiæq; amplexum ipsa medicina commendat. Sæpè etenim ita graues implicitiq; occur-

runt affectus, vt oculos complures ingeniaq; plurima desiderent, quæ rem penitiùs interiusq; contemplentur. Accedit quòd quemadmodum ex silice flammam excußit Achates (quod corporum duorum forti contritione euenit) ita collatione sententiarum, ingeniorumq; concursu, res longo à luce interuallo positæ tandem in lucem erumpant, affulgantq; sensibus singulorum. Hos fructus intercipit odium & discordia, ad hominum sanitatem sæpe necessarios. Quis deniq; reipub. tam ardenter precanti concordiam vnanimitatemq; negarit: Omnis enim semper mouendus lapis est, ne sui ipsius vtilitatis imperiti diutiùs in ignoratione versentur, atq; si proprium commodum capiant, videndum, ne illis per nos oriatur occasio opinionem bonam deserendi. Atqui haud scio, si quid homines potentiùs ad rem vllam, quam animorum sum-

ma

ma consensio lactet: contraq; dissensio mentes alioqui satis corroboratas fundamentoq; colligatas bono facilimè euertit & soluit. Hinc oppida castraq; inuictissima funditùs extirpata sunt: bella per se satis munita, cum ingenti dedecore dispersa: tota denique respubl. collapsa. Sed vt ad medicinam redeam, peiùs ars nostra audire nunquàm potest, quàm tunc, quùm ipsi inter se medici discordia peruersi, vt meretriculæ clamitant, seseq; mutuò turpibus dictis conspuunt. Nam discors de rebus responsio suspicionem ignorantiæ conciliat. Vnde animus anteà auxilij cupidus, ilicò auertitur, fastiditq; consilium dubium, quò plurimi intercederunt, etiam principes & duces. Sed nec ægrotantibus solis hoc mali aduenit, sed astantibus pariter, & quotquot ipsi retulerint. Hæc tandem fama per vniuersam rempub. repit, vnaq; cum fama, medi-

medicinæ fastidium: quam quùm contemnunt, donum Dei respuunt non minutis laudibus excolendum. Hæc incommoda parit discordia, concordia autem res paruæ crescunt, & illa maximæ dilabuntur. Id quod luce est clarius, in nonnullis huius tempestatis medicinæ sectatoribus, qui vnius reipubl. ministri, vnanimesq; contra vulgares errores socij, cum ingenti laudis dignitatisq; remuneratione superiores euadunt. Siquidem vriniferæ mulierculæ, ex lotio veluti expectantes oraculum, mediocri grauitate admonentur obiurganturq;, ad quencunq; iter reflexerint. Ita tandem edoctæ resipiscunt. At vbi alter disuasor est, alter vero monitor, instigatorq;, invariũ trahuntur animi, atque illuc anchora trajcitur, vbj vetus, etsi jncommoda, consuetudo alitur. Ita pestilens est animorum in rebus necessarijs dissensio. Quùm igitur medi-

cinæ

cinæ fides concordia ſtabilitur medicorum, & Deo honos acquiritur, quid inter medicos in repub. concordiæ præferendum eſt.

ERRORIBVS IN MEDICINÆ VSV VERSANTIBVS MEDICVS NON INDVLGERE, SED CORRIGERE DEBET.

QVùm magna curationis pars in viribus ægrotantium poſita eſt, pro quibus hoc vel illud agere licet, tum eorum & voluntas ad parendum, & conſuetudo aut ad recuſandum, aut complectendum quod præcipitur, ordinem adminiſtrationis medicaminum immutnat. Si quidem vulgò accidit, medicamine & morte, vtrum ſcilicet plus ament, propoſitis, vt mortem ſubire potiùs, quam remedia

media ſumere malint. Quibus autem medicina magis cordi eſt, nonnulli ad extremam anchoram redacti, alienis à vera medicina conſilijs, ſuppetias ſibi ferri volunt. His omnibus aut planè medicamenta deneganda ſunt, aut dexterius eſt agendum cum illis, vt vel in tempore, & recta via medicorum auxilium implorent. Nam rectæ medendi rationis iuſſu, vt medicus ſuum facit officium, ita ſuum quoq; ægrotus, & ſuum aſtantes faciant, ſintq; externa ritè comparata. Etenim vt quicquid ſalubre medicis appellatum eſt, in reſarcienda incolumitate exploratum eſſe debet, ita viciſſim ægroti, aſtantiumq; officium videtur, ſat opportunè aut ſingula ſymptomata, morbiq; enarrare principium, aut ad ægri contemplationem vocari magiſtrum, id quod longè eſt omnium tutiſſimum. Corpus enim humanum ſubiectum medicorum,

non

non solùm dignosci a medico, sed ipsius etiam præcepto morigerum esse debet, in quod medicamen salutiferum diffunditur. Quùm igitur suo ipsorum magis ægroti, quàm medicorum consilio stare volunt, ex vrina, inq; remotissimo morbi puncto postulantes auxilium, eorum hebetudo est à medicis exacuenda diligenter. Atque fabrorum more, lingna tantisper leuigantium, donec cum reliquis vnita, ipsorum animo satisfecerint, omnes homines sunt a medicis, eorum curæ commissi, sedulò excolendi, nequid rectum medicinæ interpellet vsum. Siquidem sanitas medicinæ effectus & quoddam vestigium, vt salutiferis remedijs, ita obedientia conciliatur ægrotantium. At obedientia non solùm in vsurpandis medicamentis, & seruada diæta consistit, verùm etiamsi in tempore, & recto tramite ad medicos eunt, quod omnium rerum est

primum

primum. Quicquid enim teneris radicibus terræ inhæresçit, paruo momento exiguoq; labore euelli potest. Simile est in morborum cursu. Qua in re si nostræ sententiæ ignari accesserint, intolerabiles sæpe cruciatus euitarent, ac quodammodo perpetuò vitam agerent beatam, ne Deorum dicam. Sed ingenij imbecillitate sibi desunt. Igitur si in corporibus natura sanitatis susceptiuis, incomposiri mores, ignorantiaq; ægrotantium, aut etiã optata satis valetudine prædito-rum, rectæ medendi methodo refragentur, quoquo modo corripiendi sunt, ne contra morbos destinata medicamenta, & ad sanitatis tutelam consilia inuenta, temeritate diutiùs protracta, planeq; contẽta medicinæ dignitatem oblædant. Quorsum enim medicamentum attinet, & morbi cognitio, si corpus rebelle sit, ac bona consilia aspernetur? Nonne sola imperita

peritia pædagogo indiget? Quocirca quisque ad se eorum, quorum tutelæ à magistratu præficitur, aut vbi quis medicinam factitat, disciplinam seriò recipiet. Idem Hippocrates imperat, dum ait, non satis esse, medicum suum fecisse officium, nisi & ægrotus suum, & suum astantes faciant. Porrò officium medicorum latè patens, simplicium eruditionem etiam complectitur. Nullum enim eorum, officium ipsis ignotum esse potest, alioqui nunquàm desideratum præstiterint. At ne minimã quidem plurimi in medicina officy partem norunt. Nullum igitur illis peccatum imputari potest: sed in vitio illi sunt, quibus præsens valetudo creditur, si medicas leges eis ad digitum non recensuerint. Nam tunc iussa præscripta eis pro officio reputanda sunt. Igitur quid illi, qui non solùm nihil præcipiunt, sed totis etiam viribus erroribus reipubli-

eæ applaudunt? Quid? eorum scientia in abiectissimam sontemq; ignauiam imperitiamq; vertitur. Nonne ridiculi futuri sunt, qui lignis igniq; congestis, focum super aquam construunt? Nam foco quicquid esse auxilio potuit, id omne ab aqua deglutitur. Similem ludum ludunt, qui corporibus ad obedientiam non instructis, medicamenta propinant. Quùm igitur medela frustranea sit, serò contraq; verum medicinæ vsum obtrusa, argumentis verisimilibus homines & ante morbos, & in ipsis afflictionibus, ad syncerum medicinæ sunt pelliciendi vsum. Cui si manum adycere quis tergiuersetur, talem omni ignominia arbitror dignissimum. Titulo enim dignitateq; medici ornatus, medicorum in hoc officio deest, quod subiectum incultum sumendo, petendoq; medicamento ineptum sinit, præter omnium artificum morem. Quotquot enim artificio

ficio præsunt, subiectum reddunt sibi morigerum, in quo artificium tentant. Ita fabri, hi ligna, hi ferra: agricolæ equos, agros: histriones simias obtemperantissimas habent irrationales. Annè plus inter homines effecerit ratio, humane societatis vinculum, qua cætera animantia antecellimus? At hoc loco, vulgus medicorum reclamat, populum scilicet velle decipi. Honesta oratio, ac boni prudentisq; ingenij index. Quid si quis insçius periculi imminentis, sese in fluuium rapidissimum præcipitem dare velit, tùne illi in hoc animi conceptu animum addes, vt quo cœperit, eò celerrimè properet: An qui hoc fecerit, viri prudentis munere functus existimabitur? Enimverò hæc vt impietas est abominabilis, ita nunquàm cadere in virum bonum, nedum sapientem, potest. Quotidiano periculo in tenebris artificioso lumine egeri, notum est: simili-

ter diuinitus eruditio tributa est, vt eam consecuti elargiantur egenis. Nam quemadmodùm infirmis, non optata quidem valetudine præditis, medicina opus est, ita recti medicinæ vsus disciplina debetur ignaris. Etenim non euitatur, nisi vel periculo, vel qui eius certi sunt præmonitionibus comprehensa, noxa. Quòd si qui dedita opera, bono consilio stare nolint, ijs angustiæ temporibus medicina præcludatur, ne dum ipsi in causa sint, audiat medicina malè. Id quod mihi non ita pridem euênit. Serò ad ægrotantem mulierculam accersitus cuncta circumspexî, tandemq; prædixi, circa decimumquartum à nostro accessu diem, ipsam ex hac vita excessuram, neque in medicamine spem vitæ esse reliquam. Manumq; à scribendo cohibenti obiecet vetula, meâ in scribendo parsimoniam immoderatè ferens, non sanis quidem, sed ægritudine vex-

vexatis medicinam deberi. Cuius sententiæ annuens, si in tempore postuletur, respondi: decimumq; quartum diem non superauit. Vnde edocti astantes meam æquitatem laudabant, pluriscq; deinceps fecêre medicinam. Proinde haud leuiter in noxa sunt, & adulationis suspicione non carent, plùs proprio lucro, quàm vtilitati reipublicæ inhiantes, quotquot populo placere studeant. Nam quid turpius, quidq; magis cum ratione pugnat, quàm eos ad errores duces esse, qui sanguinem profundere in ijs euellendis, pro salute reipublicæ iure stringuntur? Itaque erroribus in medicinæ vsu versantibus medicus non indulgere, sed corrigere debet.

Con-

CONSVLTO FACIVNT, QVI SIBI MEDICVM PERITVM AC PROBVM CONCILIANT DOMESTICVM.

IN corporibus humanis, sanitas semper veluti scopus est, in quem medici inspiciunt. At verò sanitas custodiæ medicorum indiga, non solùm illa reputanda est, quæ à morbis è corporibus aut propulsa, aut vitiata, aùt diminuta, ipsa corpora ægritudinibus discrutiata, medicorum operam requirere significat: quinetiam ea de qua, qui ipsa præditi sunt, nemo meritò queri possit. Nam etsi propter partium singularum officium incolume, cursumq; naturalem actionũ, quis animo tranquillo esse posse videatur, tamen vt auctor est Celsus, sua cuiq; bona suspecta esse debent. Nam athletica corpora facilè

lè in deteriùs corruunt, quòd diu in eodem ſtatu nequeant permanere. Accedunt noſtra hæc corpora, climatis ergô quo tegimur, quod dyſcraton eſt & intemperatum, varijs alterationibus expoſita: diæta etiam vulgari ad grauia mala plerunq; rapiuntur. Siquidem ita apud nos homines ſunt, vt ſi bene parceq; inſtitutam vitam aſſequi coneris, nunquàm per illos, ad illam peruenire liceat. Etenim eò omnes lapſi ſumus, vt inſeparabilia amicitiæ indicia in Cærere & Bacho collocemus: vt nemo ſe humaniter, niſi ſumma crapula, tractatum dixerit. Quare cùm cœli, tum victus rationis gratia, non minor videtur præſentis valetudinis tuendæ, quàm abſentis recuperandæ virtus. Eſtq; hæc medicinæ particula, qua præſentem valetudinem defendimus, hominibus multò tum aptior tum optatior, quàm qua acquirimus amiſſam. Quæ enim ma-

iores deliciæ esse possunt, quã vt diu ac incolumes viuamus? Atque vt incolumitatis custodia tolerabilior est, ita etiam facilior, vt rectè poëta cecinit: Principijs obsta, serò medicina paratur. Quoniam fruticis arborescentis radices, quàm è terra iam nunc eminentis, tenaciores robustioresq; labore constant asperiori, si quis euellendas in animum induxerit. Quùm autem & subitò & sæpè alteramur, consentaneum arbitror, ad manum esse medicum naturæ commoderatorem. Alioqui natura, quemadmodum equi non coërciti fræno deuiant, grauibus onerata sarcinulis, à sua meta ilico longissimè aberrat. At quæ ad nondum alteratos portio medicinæ attinet, vt etiam illa, qua absens restituitur, nunquàm fœliciter succedit, nisi singulis corporis partibus, qua scilicet temperatura donatæ sint, exploratis. Etenim nullum alimentorum

genus

genus. cuiquàm salutare duci potest, si sumentium partium naturæ, cum alimentorum facultatibus temperamentisq; non præcesserit comparatio, maximè maiorum viscerum, & totius habitudinis. Quorum indagatio non solùm cuiusmodi esse oportuit alimenta, verùm etiam qua mensura promenda sint, abundè indicat. Solus autem ventriculus nobis est sumendi cibi monitor, etiam si reliquarum partium suctu instigatus sit. At frigidior natura aut alteratione effectus, cibo gaudet pleniori, quàm sæpenumerò cæteris partibus oportunum sit: quemadmodum etiam prauis humoribus imbutus appetit aliena. Quocirca haud segniter est notandus appetitus, an quæ appetantur, partium naturæ congruant reliquarum copia & qualitate. Siquidem ventriculo quoquo modo frigidiori, si hepar calidum fuerit, præter conuenientem natu-

ræ modum, haud parua in corporibus naſcitur cruditas fons affectionum multarum. Inprimis frigus multitudinis ciborum auidum, ſemicoctum, hinc pituiteum chylum hepati tranſmittit, atque inter vias, in inteſtinis ſcilicèt, venis q; meſaraicis aliud atque aliud mali genus inſpergitur. In illis quidem ventris diſtentio, murmur, flatus, dolor colicus? in his verò obſtructiones grandes, etiam cum flatibus iunctæ. Hepatis deinde caliditas, huiuſmodi chylum excipiens, multam bilem gignit, pituitam q; viſcoſam efficit, in quibus materia eſt, calculo gignendo promptiſſima, inſtrumentis, hepatis calore, idoneis appoſitis. Hæc cum à ſolis medicis, ijſq; in re medica luculenter verſatis, ac coràm plerunq; obuerſantibus, appoſitè obſeruari dignoſciq; poſſunt, haud mirandum eſt, ſi ex victus ratione, iuxta appetentem ſtomachum compoſita,

coquiſq;

coquisq; acquisitis cuiusq; appetitui adulantibus plus diuites lædantur, sibi vbiq; obsequi valentes, quàm quorum tenuis fortuna semper ad assueta eademq; alimenta remeat. Atque si quid plus solito interdum sumatur, id postridiè laboribus abstinentiaq; corrigitur. Itaque cui sua semper optata secundaq; valetudo futura est, js medicum grauem & constantem sibi cohabitatorem comparet, modò in id opum consentiat amplitudo. At si non consentiat, js beneficijs & familiaritate deuinciatur medicus, quocum de sanitatis tutela, sæpè & tuto conferatur. Nam & plus proficimus, & leuiori pretio in sanitatis custodia medicina paratur. Quandoquidem morbi doloribus pleni, cùm in longiusculum protrahuntur, tùm & diu cruciant, & eximuntur carè. Sed dum morbis implicamur, multo in curatione domestici extraneis præponderant.

rant. Etenim & quicquid morbum anteceſſerit, & laborantis temperamentum domeſtica conuerſatione pariter domeſticus comperta habet, in quibus ineſt magna curandi particula. Hæc priuſquàm coniecerit extraneus (ſi tamen & ita coniecerit) magna morbi pars abierit, & vna cum illa agendi occaſio velox Hippocrati dicta, vt omittam quanto diſcrimine inter ſe medici diſtent. In quo hoc commodi eſt ex domeſticis, quòd experientia ſæpè oculis conſpecta, ingenij eruditioniſq; teſtis eſt. Igitur permultùm profuerit domeſticus.

FINIS.



f CXXIX.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn861504348/phys_0275

BENEDIC ANIMA MEA
DOMINVM, ET NE OBLI
VISCARIS OMNIVM BE
NEFICIORVM EIVS. SI
CVT MISERETVR PAT
SVPER FILIOS, MISER
ETVR DOMINVS SV
PER TIMENTES SE.
PSALMO CIII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn861504348/phys_0276

Ma
Z 076

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn861504348/phys_0277



Universitäts Bibliothek
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn861504348/phys_0278


http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn861504348/phys_0279


Universitäts Bibliothek
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn861504348/phys_0280

terrarum aduersus illos pronu
Nonne iudices inter se consilia
runt, quam diris supplicijs regiam
tatem maiestatemq; defendant?
medicinam à ratione disiungunt,
phiæ rerumq; naturalium impert
cùm regibus, tum inimici reipub.i
simi, diuinam in omnes homines
tem prophanant. Nam quæ apud
pernè sunt salutifera remedia, ijs
perniciem eorum, quibuscunque o
rint, ignorantiæ causa abutuntur.
magna est, in exhibendis medica
cautio. Quare cùm regis causa
in adulteros monetarum fabros
conferunt, qui tantò diuina mai
quantò creatore creatura inferi
tantò me herculè animaduersiones
in diuinæ gratiæ stupratores, ar
res. Nec prohibet quorundam
um: cuique libera esse debere diu

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn861504348/phys_0281